Historiæ
IESV CHRISTI
FILII DEI NATI IN
TERRA MATRE SANCTISS.
semperuirgine Maria summatim relata expositio:

ITEMQVE EORVM QVÆ
DE APOSTOLIS IESV CHRISTI singilatim commemorari posse recte & vtiliter visa sunt, autore

Ioachimo Camerario.



1 5 8 1

ADDITIS ALIIS QVIBVSDAM NON INDIGNIS PIETATIS religiosæ studio.

CVM PRIVILEGIO.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOACHIMO FRIDERICO, illustriss. princ. ac Domini Domini Iohannis Georgij F. Marchioni Brandeburgensi, &c. Domino suo clementiss.

Ioachimus Camerarius Pabepergensis S. D.

QVOD SAPIENTVM veterum affirmatione, rerum præteritarum cognitionem non modo voluptatem habere, sed afferre etiam vtilitatem, persuasum mihi esset, ideo ego, qui ijs studijs, quibus bonarum artium nomen est, operam dandam putassem, in historiarum quoque lectionem atque tractatum duxi incumbendum. Non est autem aliena res honesta delectatio, & vberrimi pulcerrimique fructus existimandi sunt liberalis scientiæ, quæ tamen sine exemplorum appositione ieiunior ac inanior esse solet. Quapropter Gregorius Nassanzenus (quē

eximio nomine Græci Theologum appellarunt) breuiter ille quidem sed perquam eleganter, in quodam versu ἰσορίην συμφερτὴν σοφίην vocauit: Quod in hac parte eruditionis atq; doctrinæ, vniuersa sapientia plena confertaq; inesset. Atq; legi non oscitanter Græca Latinaq; scripta historica, quæ ad nos propagata fuere, de rebus negotijsq; susceptis ac gestis ab illis hominibus, & in ijs gentibus, à quibus & apud quas imperia quidem maxima virtute belli constituta, & ciuili prudentia vitæ humanæ cultus ordinatus fuit, in ignorantia tamen veritatis celestis, & falsarum religionum vsurpatione. Procedente autem ætate, attentius, vt fit, cogitans: Quid & iucundum inprimis esse deberet, & profuturum maximè videretur, facile animaduerti vtrunq; eo potissimum contineri, in quo hominis Christiani professio versaretur. Ea est profecto cognitio illustris rerum diuinarum, quam historiæ congruentis copia non modo augeri, sed cum personarum tum euentuum consideratione explicari declarando constat.

stat. Itaque expositа iis libris, qui sacræ scripturæ nomine celebrantur, ante omnia diligenter pellegenda esse statui, & commentatione eorum ea colligenda, quibus religiosæ pietatis quasi facultas quædam instrueretur. Et ad hæc ipsa pertinentem aliorum quoque scriptorum veluti apparatum duxi adiungendum, vt ad cognitionem laudabilem studium integrum atque plenum conferretur. In quo genere nactus aliquando libellum Græcum præferentem nomen Nicephori & comprahendentem notata tempora inque seriem annorum distributa ab origine mundi ad autoris vsque ætatem (χρονολογίας Græci vocant) illum & explanari & narrationibus conuenientibus locupletari studuimus. Qui si iterum aliquanto emendatior & auctior prodibit, sicuti spero, expressus, fortasse legentibus aliquid factum esse, quod operæ precium sit, apparebit. Interea & tradita atque perscripta de autore salutis & conciliatore vitæ beatæ in consuetudine celesti, Domino nostro Iesu Christo filio Dei æterni

legens meditari magis aßidue oculisq́; animi intentioribus contemplari, & ea, quæ de Apostolis ipsius duodecim illis viris delectis à Iesu Christo, & dimißis in vniuersum orbem terrarum ad præconium regni cœlorum & prædicationem de Euangelio mandata literis extarent, perquirere & dispicere cœpi. Cum autem de his narrationes vulgatas multis in partibus labascere animaduerterem, & in historia de Iesu Christo nonnulla considerationem diligentiæ admittere cernerem: Ita tum quæ legendo scripta veterum in Ecclesia Christi doctrina & sanctitate præstantium Græcorum præsertim, ad explanandum quædam illustrandumq́; excerpseram, ea perscribendo in historiæ Euangelicæ seriem de Iesu Christo, pia religiosaq́; cautione inserui. De Apostolis verò (alia, quæ paßim haberentur in manibus plane negligens) singulis ea composui, quæ neq; nugatoria neq; periculosa lectu visa sunt. Et notaui interim pauca quædam partim audacia imperitorũ, partim superstitiosorum peruersitate inculcata:

cata: Quæ propter errorem qui increbuere, perniciosam fœditatem dissimulanda nullo modo essent. Hæc sane intelligebam in alios aliorum sermones incursura, neq; reprahensione adeo quorundam caritura esse. Quorum aures adeo sunt delicatæ, vt nihil nisi ipsis veluti blandiens velint admittere. Atq; non fuisse me delectatum istiusmodi disputationib. vel hoc potest esse indicio, quod illas breues esse studui; tanquam necessitate huc delatus non prouectus cupiditate. Res enim insanabiles (quemadmodũ his ferme verbis grauiss. autor Plato scripsit) quæ ad vitia longissime processerunt, increpare, minime est iucundum, sed interdũ tamen necessarium. Nam quod ad iudicia diuersa attinet, quid fieri soleat, vel id ostendit, quod tanquam prouerbium iam tritum est: Tres mihi conuiuæ. Huius scilicet incõmodi fuga hæc erat, vt nihil omnino aliquis quod in lucem proferretur, scriberet. Sic enim & labore compositionis supersederet ipse, neq; pabulum maleuolis à se praberet, quo aleretur cupiditas

obtrectandi illorum. Atq; ego adolescens iis temporibus laude eruditæ doctrinæ inprimis celebrem senem (quem nominandum tali in mentione non putaui) ad interrogationem amicorum: Cur non aliquid ipse quoq; componeret atque ederet, qui id multo melius quam pleriq; alii facere posset: Eum igitur respondentem audiuisse me recordor: Eo hoc à se intermitti, quod aliorum stulticia frui ipse mallet. Hoc mihi non tunc quidem sed postea cogitanti dictum inhumanius visum est: Ac multo præclarius præcepisse arbitratus sum Theognidem, qui Musarum cultores (id est deditos bonarum artium liberalibus studiis, & eruditæ doctrinæ amatores) non oportere ait ingenii sui fœturam & copiam scientiæ aliis inuidere, sed cum ipsos quædam vestigare atque anquirere, tum inuenta exhibere atq; proferre. Quos versus elegantißimos ascribendos putaui:

χρὴ μουσῶν θεράποντα καὶ ἄγγελον, εἴτι περισσὸν
εἰδείη σοφίης μὴ φθονερὸν τελέθειν.

ἀλλὰ

ἀλλὰ τὰ μὲν μῶσθαι, τὰ δὲ δεικνύναι, ἄλλα
δὲ ποιεῖν.
τί σφιν χρήσηται μοῦνος ἐπιστάμενος;

Atq; est aliorum alia ſapientia, neq; eadem præclara ac magnifacienda videntur vniuerſis. Pertinere tamen ad laudem ſapientiæ aliquam, literarum & eius doctrinæ facultatem, qua animi hominum expoliuntur, & ad rerum diligentiorem conſiderationem, & orationis diſertioris vſum conformantur, ſtatuendũ eſt. In eam cum à puero operam dederim, nihil ſcilicet profeciſſe meum dedecus, & fateri mihi profecto turpe ſit. Verum enimuero, qualecunq; eſt, quod in iſto genere laboribus vigilijſq; meis ſum conſecutus, id vel ſolum vel certè ante omnia ſeruire debet earum rerum tractationi, ſine quarum noticia nulla ſpes concipi poteſt ſalutis certæ & ſtabilis felicitatis. Hæc eſt doctrina celeſtis veritatis, cuius vnicus interpres eſt filius Dei, qui illam protulit è ſinu patris Dei æterni, & ſuo peculiari cœtui tradidit atq; commiſit cuſtodiendam & exercendam: Quæ

est Ecclesia Dei æterni omnibus temporibus & locis καθολικὴ καὶ ὀρθόδοξος, id est, generalis in recta sententia fidem Iesu Christi sequentium congregatio, in qua voluit diuina benignitas patefacta à se ad veram sui venerationem & salutem generis humani, extare mandata scriptis Propheticis & Apostolicis. Hæc ea sunt, quæ Canonica appellantur, quorum esse ignorantem eum, qui sese Christianum perhiberi cupiat, non est ferendum. In illis autem commentatione meditationeq́ exquisitiore colendis tanquã opera in agro Dei æterni facientes, alij nimirum alijs præclarius fructuosiusq́ elaborant, sed omnino vnumquemq́ religiosæ pietatis studium suo loco & pro parte sua nauare decet, ne in negotijs Domini sui ociosus atque deses reperiatur. Quod autem attinet ad ea, quæ elucente veritate, aliter quam consuetudo fert multorum sane retro annorum, & referri & enarrari, & edisseri iam necesse est, ab ijs, qui falsitatem manifestam deuitare, & consentaneam esse cum expositio-

positionem tum explicationem, neque fabulis atque nugis commemorandis ludere in tanto argumento voluerint: sane oratione prolixa verbosaq́; opus esset caussam hanc acturo. Sed ista cum mihi disputando exequi non libeat tum neque opportunum sit futurum. Qui autem tam sunt, vel in pertinacia improbi, vel inscitia superstitiosi, vel quacunque opinione adeo dementes, vt maledicendo, obtrectando, conuicia probraq́; ingerendo, atque adeo vim, si valeant, afferendo, si quid dicitur aut fit contrarium rationibus & actionibus ipsorum, ita vitia tegi occultariq́; errores & suum veluti ædificium iampridem impulsum & ad ruinam procliue fulciri posse sperant: Quid cum illis agas aliud? quam vt, quod incommodum admoniti cauere, & quæ demonstrata damna auertere nolunt, ea perpetiendo experiri ipsos patiaris, cum communi quidem illos pernicie, sed proprio maxime exitio. Habent catholicum nomen plerique in ore, & iam exoriuntur, qui catholi-

cismum

cismum quasi sectam aliquam appellando inculcent, et inde recedentes dare caussas miseriæ & calamitatibus vociferentur, & inuidiosissima mentione Luteranismi crimen his aut illis inferant. Assentantur illi quidem aliquibus, quos ita veluti titillant. Sed quo euadere talia poßint prudentioribus erat cogitandum, si Remp. & in hac sese saluos esse vellent. Catholicæ Ecclesiæ membra qui non sunt, eôs non esse Christianos constat. Et veteres catholicam Ecclesiam ὀρθοδόξου *nomine ornauerunt. Nam sanctam hanc & sinceræ ac puræ doctrinæ custodem esse oportet. Nihil est opus declamitare, quid ab hoc illoue fiat aut instituatur. Id agatur atque perficiatur vt catholicæ* καὶ ὀρθοδόξου *Ecclesiæ doctrina nota sit ac teneatur, & secundum hanc mores emendentur, & corrigatur vita, ritus etiam ceremoniarum congruentes vsurpentur. Hoc generaliter illud quidem vere dicitur; sed quam multi quam sæpe, vt fieret, frustra monuerunt? Ne autem sine effectu res verbis tantum quasi ventilaretur; opus*

erat

erat vel Dei ipsius, vel diuini hominis voce compellante aliquos nominatim, & iubente fungi singulos officio ac munere suo. Quamuis enim mandata Dei æterni sint in medio, & humana etiam potentia, quid suscipi tandem geriq́ cupiat, indies minus dissimulet, adhuc tamen, quia communiter quid agatur præsteturq́ præcipi postulariq́ creditur, eo singuli tergiuersantur atq́ cessat operis executio, spectante vno alterum, aut in turba etiam minus vnoquoque tam erubescente quam metuente. Restat hoc scilicet, vt liceat sibi ipsi salutaria aliquem subijcere, & communiter deplorando querelas aliorum quoque attentionem commouere, vt saltem priuatim nonnullis subueniatur, si de publica medicina fortasse desperetur. Est autem nocentissima res in hominum vita assentatio, & in vnoquoq́ periculi pleniss. cum, quæ arrident, ea commendari gaudemus, & improbari contraria audimus libenter, non hoc agentes, vt errores & peccata corrigantur, sed cupiditatibus prauis vt inueniantur adminicula. Verum lon-

gius excurrens hac in parte oratio, quasi in girum propositi argumenti reducenda est. De ijs igitur quæ ab homine Christiano vtiliter & recte cogitari scirem, religiosæ pietatis studio perscribi etiam aliquid, & perscriptum communicari cum alijs culpandum esse non putaui. Cum quidem sperarem bonorũ iudicio sententiaq́; idipsum approbatum iri: Quos & notare & emendare mea æquiss. animo laturus, & proferentibus meliora gratias acturus sum. Non est autem obscurum omnibus temporibus veritatem quasi infuscatam fuisse, non modo scriptoribus falsitatem suarum ætatum vsitatam ijs libris quos ipsi componerent, celebrantibus, sed corrumpentibus priorum quoq; scripta, inserendo commenta opinionum suarum, quibus illa augeri studerent. Quapropter seuera Ecclesiasticæ animaduersionis sententia, etiam prisca quædam scripta repudiata fuere, non vt tota mala aut falsæ autorémue mentientia, sed vt inculcatis alienis sententijs deprauata, & eo etiam deteriora, quo magis autoritatis suæ fide

officere

officere possent veritati. Idq́; de Enochi libro vsu venisse scripsit Aurelius Augustinus, & idem de alijs compluribus, quæ apocrypha vocarunt, existimandum est. Sed narrationes posteriorum eò reperias mendosiores, quo longius studia à sincera veritatis doctrina abscesserunt, & barbaria latius orbem terrarum est peruagata, donec ad ridiculas futilium scriptionum nugas res euasit. Hoc si cui nondum perspectum est, is ea, quæ ante annos circiter quingentos edita sunt recognoscat. Ex his enim, quanquam prima quæq; non modico interuallo ab integritate antiquitatis incorrupta abesse cernet, posteriora tamen gradatim descendere ad vanitatem videbit, donec cõperiat tandem ad mendaciorum impudentiam plapsionem incitatam. Loquor autem de ijs, qui neq; amentes & veritatis amantes sunt. Nam cæteri aut instar noctuarũ in clara luce oculis, aut tanquam in Tragœdijs furentes mente capti, nihil discernere aut distinguere solent. Sane credo fuisse consilium aliquorum non malum omnibus

modis exornandi & celebrandi religionē Christianam. In qua parte etiam docti atque eruditi veteres scriptores Ecclesiastici figuris tam verborum quam sententiarum vsurpandis, non cauerunt ne simplicibus aberrandi ad falsas opiniones fuisse autores viderentur. Vt nimis autem sumtuose & splendide exornatæ mulieres suspicionibus occasionem dant, quod minus diligentes custodes sint pudicitiæ, & quamuis flagitium facere eas non constet, cogitatione tamen multorum violantur: Sic istud studium amplificandi historias & mirificis narrationib. conciliandi meliorem aliquibus existimationem sapientiæ, virtutis, sanctitatis, de veritatis fide detrahere aliquid solet, & reddere totam sæpe expositionem suspectam. Mutatæ fabulæ poëticæ nominibus, & alienis personis actæ quoties deprahenduntur? Vt ex Perseo volatico, eques Georgius factus, ex Oedipo Thebano nescio quis supra saxum collocatus Gregorius. Et alia magis ridicula ad puerorum & mulierum atq; omnino imperiti vulgi animos vel terrendos vel

dos vel conſolandos conficta. Quos quaſi fucos & quem veluci mundum à caſtitate & pudicitia ſponſæ filij Dei prorſus remoueri decet. Nicephorus vndecunque ſane acceptum, non enim ipſum confinxiſſe puto, ex epigrammatis cuiuſdam Lemmate horribilem exitum filiæ Herodiados commemorat. Sane atrocium ſcelerum eſſe ſupplicia atrocia ſecundum iuſticiæ diuinæ ſententiam, neceſſe eſt, cum miſericordia tamen in ijs, quos delictorum pœnitet, mitigare hæc, ac ne exequi quidem ſæpenumero conſueuerit. Sed neſcio quo pacto tales narrationes anſam dant diffidentiæ & dubitationis de alijs quoq;. Quas tragœdias excitarunt oſtentatores cum aliarum rerum ſacrarum proclamationibus ipſorũ, tum imaginis Chriſti in cuiuſpiam Beronices velo expreſſæ. Sed nolo exagitare miſeriam noſtram. Noſtrum autem eſſe duco, quicquid ad ſanctam Eccleſiam, & nomen Chriſtianum pertinet. Atq; vtinam iſta omnia poſſent perpetuo ſilentio penitus obrui. Id quod quidam furioſe inſolentes euenire non ſinunt. Qui etiam

friuola atq; absurda non solum de poëticis fabulis effecta, sed anilib. quoq; nænijs contexta, & in sanctiß. ac celestium rerum expositiones inserta, & defendunt pro veris, & hæc attingentes quamuis molliter reprahensiones respuunt detestando & vesanis clamoribus insectantur. Neq; igitur in his, quæ à me collecta modo eduntur, diligentiam iudiciumq; peruestigando & diligendo deceptum, neque describendo operam male positam, neq; adeo in proferendo consilium vituperandum esse confido. Quia autem putabam me aliquid tanquam præfari hisce debere, cumq; tam more quam peculiari etiam ratione, id veluti literarum compellatione ad vnum quempiam dirigendum videretur: Tua, illustrißime princeps Ioachime Friderice, excelsitas hoc tempore potißimũ, conuertit ad sese subiectißimam addictißimi animi voluntatem: Quod dignitate & eruditione doctrinæ præstans vir Thomas Hubnerus & literarũ & nunciorum significatione me fecisset certiorem: Tuæ illustriß. excelsitatis clementiß. esse erga me fa-

*me fauorem, & de me ſtudijsq; meis ex-
iſtimationem perquam bonam: Adeo vt
affirmaret, acceſsionem quoq; meam, ſi
ita forte res tuliſſet, tuæ illuſtriſ. excelſi-
tati gratam acceptamq; fore. Ac oſtenſa
quidem eſt occaſio nuper veniendi in ter-
ras illuſtriſ. domus veſtræ ditioni ſubie-
ctas, ſed ea tunc vti non licuit. A me verò
quid aliud coram effici poſſet, quo tuæ il-
luſtriſ. excelſitati commendarer? niſi vt
de pijs honeſtisq; ſtudijs & rebus aliquid
verborum fieret. Id autem ſcribendo me-
lius quam loquendo à me ſaltem præſtari
poteſt, qui veluti in vmbra vitæ ſcholaſti-
cæ deliteſcens ita peregi ætatem meam, vt
declinarem ſplendorem omnem actionũ,
quem hebetior acies ſuſtinere nõ valeret.
Compræhendi quidem abs tua illuſtriſ. ex-
celſitate humilitatem meam clementiſſi-
ma beneuolentia, non poteſt non eſſe mihi
iucundiſsimum, cum ſit honeſtiſsimũ. Sed
affectio illuſtriſ. excelſitatis tuæ erga opt.
diſciplinarum & artium ſtudia, quarum
reſpectu illam in me complectendo mo-
ueri apparet, & maiorem voluptatem*

consideranti mihi affert, & subiectißima cupiditatem celebrandi, si poßim illustrißimum nomen tuum vehementius incitat. Nescio enim quo pacto, quasi flores decidisse liberali institutioni & eruditæ doctrinæ, & ideo minoris ea fieri ac pene contemni videtur. Iacent autem ea semper ac despiciuntur, quibus veluti alleuatio & adiumentum honoris atq; laudis non contingit. Ac cæteri fere principum virorum iudicia rationesq; sequi consueuere. Itaq; in horum non tam factis quam exemplis plurimum situm est in vtranq; partem, virtutis inquam atq; laudis, & vitiorum ac dedecoris. Sed hæc & his similia illustriß. excelsitati tuæ nota esse iampridem oportet, demonstrata studio & industria Thomæ Hubneri. Qui sine dubio nihil omisit vel admonitionum vel præceptionum, quibus illustriß. excelsitatis tuæ mens veritatis cognitione instrueretur, & voluntas ad recta atq; laudabilia persequenda conuerteretur. Vt autem hoc ita esse mihi persuadeam, efficiunt & pietatis religiosæ & sapientum cogitationum refer-

referta literæ illius ad me scriptæ sermone latino cùm puro & proprio, tum elegante & ornato. Vt abs tua illustriss. excelsitate hunc clementissime & diligi & magnifieri necesse sit. Pluribus igitur, quæ à me his de rebus dicantur, nihil opus est. Et, si quid restat, orari scilicet Deum æternum conuenit, vt ille propitius tuam illustriss. excelsitatem excitatam ad spem publicæ salutis ac dignitatis, feliciter adolescere, et saluam atq; incolumem longissimum illustrissimæ vitæ spacium conficere velit, in protegendo ac conseruando sanctam Ecclesiam, & ciuilem hominum societatem tuendo, & illustrissimæ domus suæ antiquam gloriam non solum retinendo, sed altius etiam extollendo. Hoc votum à me fit inprimis assidue & toto pectore precante Deum æternum patrem Domini & saluatoris nostri vnici Iesu Christi, vt tua illustriss. excelsitatis mentem sancti Spiritus magisterio erudiat ad omnis veritatis comprehensionem, capiendumq́; consilia recta, & ad hæc exequenda actionibus honestis atq; laudabilibus voluntatem at-

que studium dirigat : Vt ante omnia celebretur sanctissi. nomen ipsius, & Ecclesia Christi confirmetur, & floreat Respublica, Te principe & autore hoc diuinitus mandatum munus exequente, & operam istam commissæ administrationis fideliter & diligenter in statu felice & prospera diuturnitate vitæ, dante ipso Deo æterno, cuius est omnis laus, honor, gloria, potentia, victoria, regnum sæculis infinitis.

Tua illustriss. excelsitas bene valeat.

Vale. Lipsiæ die Brumali Anni instantis 1566.

HISTORIAE IESV CHRISTI FILII DEI NATI IN TERRA MATRE SANCTISS. ſemperuirgine Maria ſummatim relata expoſitio.

MVLTI ſtudium literarum in eo poſuerunt, vt memoriæ mandarent ſcriptis ſuis virorum illuſtrium & virtute præſtantium, aut varietate caſuum inſignium, vitam, fortunas, mortem, quia vel narrationem eam iucundam legentibus propter hiſtoriæ cognitionem, vel exempla propter inſtructionem animorum vtilia futura eſſe conſiderantib. exiſtimauerunt. In qua parte cum & nobis placuiſſet operæ aliquid conſumere, Si nihil aliud conſecuturis hoc labore, ſaltem quietem aliquam reperturis, & abducturis cogitationes à triſticia rerum & miſeriæ tam publicæ quam priuatę, in manus ſumſeramus, & aggredi cœperamus contextum eorum quæ à veterib. autoribus de eloquentibus Græciæ tradita & memoriæ prodita comperiſſemus. Cum ſuperioris temporis calamitas & communis mœror bonorum, & ſenſus proprius eorũ malorum, quibus tum noſtra natio obrueretur, aurem, vt ita dicam, vellens admonuit,

nuit,& iussit illam descriptionem paulisper seponere, & , si ocium suppeteret ac temporis aliquid vacui cæteris negotijs concederetur, id potius agere, vt Christianam quandam & Ecclesiasticam historiam commentaremur, & stilo nostro explicaremus, hoc enim non modo vtilitatem nobis, sed plane salutem allaturum, alijs qui legissent gratum acceptumq́ futurum esse. Morem gessi non tam animo nostro quam diuinæ, vt arbitrabar, subiectioni, & cœpi temporum ac rerum expositiones de ijs libris, quorum copia fieri mihi potuit, scrutari, & cum alia tum IESV Christi & Apostolorum dicta factaque, & vitæ cursum & mortis genus, notare. Ex quo cum nonnihil fructus percepisse videremur, placuit composita huius generis quædam in præsentia emittere in lucem, & communicare etiam cum alijs Christianæ religionis amantibus. Scio autem hunc laborem & veteres quosdam suscepisse, quorum scripta videre mihi nondum contigit, exceptis ijs, quæ vulgata sunt Abdiæ cuiuspiam nomine, & alterius, quemadmodum præscribitur libro, Anonymi, & his etiam quædam minus erudita ac magis friuola, quæ orationis elegantia quidam perpolire sunt conati. Atque memini amicos, consilio hoc nostro

cognito

cognito mirari: Quidnam nos expofituri effemus non mutuando neq; veluti defcribendo priorum tradita, id quod ab ingenio meo alienifsimum effe fcirent. Et ego quoque ipfe, vt verum fatear in opufculo hoc, quafi fabricando diu fane adhærefcés fum moratus, propterea quod expofitionem hanc communem atq; tritam non videri cuperem. Sed quid à me præftitum fit, prædicare ego non debeo, & eft res ipfa in medio, vt legentes, quorum iudicium de his effe conuenit, fitne aliquid operæ à me nauatum an non fit, ftatuere pronunciareque iam pofsint. Ac hortamur & alios literatos atque pios vt fimiliter & ipfi in hoc genere fi quid reperire potuerint, aut ipfi cõponere voluerint, ftudiofè exprimendum & diuulgandum curent. Interea fi quis ea quæ nos collegimus cognofcere non dubitarit, hunc operam lectionis non prorfus perditurum effe fperamus. Verum de euentu ideo minus foliciti effe debemus, quod nobis ipfis potifsimũ hanc operam dedimus, vt fi alijs nauata non fit, æquo animo ferre debeamus, contenti fructu noftræ fubleuationis ac quietis. Sed iam expofitio ipfa procedat. Filius DEI DEVS ὁ λόγος nafcitur, modo, neque menti humanæ ad comprehendendum, neque linguæ ad

enunciandum expositio. Nascitur tamen, & hoc celesti voce patris testante, tum cum humanam naturam ille assumserat, & SPIRITV sancto statim à primo mundi ortu certis hominibus demonstrante, & per aliquos semper de hoc quasi concionante, qui prophetæ appellantur. Hoc semper & constanter crediderunt pij & religiosi homines. Gignitur autem à patre ante omne rerum exordium, quippe DEVS. Ita vt sit συναΐδιος ἀϊδίῳ patri, pariter & æqualiter ac similiter DEVS, vt pater, id est ὁμοούσιος. Qui cum patre in eadem omnipotentia & sempiternitate viuit, regnatque vnà cum SANCTO spiritu, vnus, verus, immortalis, expers principij, creationis & omnis finis, Iustus, Misericors DEVS, cuius est laus, honor, victoria sempiterna: Hic filius Dei, de quo ea quæ breuiter cõmemorata sunt, pia & religiosa fide creduntur, declarata sermone diuino & SANCTI spiritus doctrina, humanæ rationi & sapientiæ ignota omnia, quæ est ad hæc ipsa per se, cæca, manca, mutila, aut si quid debilius ac vitiosius dici potest: His igitur filius DEI DEVS, secundũ salutare generi humano consilium patris, cum intercessisset apud illum pro miseris hominibus propria culpa in mortem præcipitatis, & iusticiæ diuinæ satisfa-

tisfa-

tisfactionem à sese obtulisset, Mittitur in hunc mundum promissus ab initio saluator & instaurator illius, & DOMINVS atque rex vnicus vniuersitatis rerum, id est Messias, qui dicitur græce Christus, reconciliaturus genus humanum DEO, & Dei iram erga illud placaturus, & caussam huius, impietatem ac peccatum, translaturus in se, vt liberarentur, & ita pœnas huius persoluturus vt conseruarentur illi: factus est homo, sic, vt DEVS nequaquam esse desineret, accepto corpore SANCTI spiritus effectione in vtero intactæ & perpetua castitate puræ virginis Mariæ. Quam constat posteritatis Dauidicæ fuisse, habuisse autem perhibetur parentes Ioachimum & Annam. Patrem quidem Ioachimum Mathatæ filium Nepotem Zorobabeli, Annam verò matrem ex tribu Leuitica. Hæc vt desponsa fuerat Iosepho tribuli, priusquam deduceretur ab illo, grauida reperta mirabiliter concepto fœtu SPIRITVS sancti diuina potestate, & nihilo minus tamen deducta ab illo iusso hoc facere diuinitus, habuit virum optimum & integerrimum atque sanctissimum quoad hic vixit, fidelissimum custodem virginitatis suæ, & assiduum atque diligentissimum socium educationis & curæ filij DEI & hominis, id est

id eſt ſui. Qui ad exequendum perpetuam voluntatem patris in terris naſci voluerat, genere diuino natus ille quidem, ἀχρόνως & αὐάρχως, hoc eſt abſq; origine temporis, Sed reſpectu patris ἀρχὴν; id eſt, αἰτίαν φύσεως habens, ſic tamen vt ἀγεννὴς & ſit & celebretur. Voluerat autem naſci, in terris ideoq; & natus eſt, præfinito modo; voluntate, & ſententia conſtante patris; ſed humana ſapientia non ſcrutanda, eo tempore ac loco vt nunc dicemus, repetentes ſeriem temporum paulo altius, quo certius & expeditius omnia enarrentur. Qua tempeſtate Cn. Pompeius cognomento Magnus in Aſia bellum aduerſus Mithridatem ſuſceptũ geſsit; Mortua Hieroſolymis Saalina, quæ & Alexandra nominatur, Alexandri regis Iudæorum vxore, Ariſtobulus Alexandri filius fratrem maiorem natu Hyrcanum regno ſpoliaſſe contentus fuit, cumq; eo permutata fortuna, quod Hyrcanus regni eſſe hæres deberet, amanter complexus fratrem in ſuam domum dimiſit; ipſe regiam occupauit. Potito igitur de improuiſo rerum Ariſtobulo cum alij qui ipſi aduerſati fuerant, tum Antipater qui & Antipa, inprimis metuere cœperunt non ſolum dignitati; ſed etiam ſaluti ſuæ. Erat Antipater Idumæus natione Herodis Antipæ filius.

Cui

Cui Alexander Iudæorum rex Idumææ to-
tius principatum attribuerat. Iſq; ingenio
acri & animo cupido rerum magnarum a-
micitiam iunxerat cum finitima loca inco-
lentibus Aſcalonitis, Gazæis, Arabibus. Et
hos conciliatos filio Antipatro moriens re-
liquit. Is igitur quod Ariſtobulum non
fugere ſciret, fauere ipſum contra ſe Hyr-
cano fratri, quem ſimplice animo & fugi-
entem curas ac negotia, Antipater regnum
tenere maluerat, ſibi vt potentiæ apud ip-
ſum exercendæ occaſio eſſet: Tunc itaque
Antipater ſtudere ſuſpiciones inſerere Hyr
cano, & criminari fratrem, & deferre indi-
cia conſilij mortis ipſius. Nec finem facere
donec quantumuis probi & placidi iuuenis
animum exulceraret, & eum ad fugam ſe-
cum faciendam impelleret. Ita illi accepta
fide defenſionis ab Areta Rege in vicinam
Arabiam noctu egreſsi vrbe conceſſerunt,
& Petram vbi ſedes Regia erat peruene-
runt. Acceptus autem benigne Antipa-
ter vna cum Hyrcano à Rege, perſuadet
illi oratione accurata & memorabilibus
donis condita, vt Hyrcanum in regni pa-
terni hæreditatem reducere vellet. Coacto
igitur peditatu & equitatu ád M. L. profe-
ctus Arabs ad Hyrcanum reſtituendú, oc-
currentem Ariſtobulum facile ſuperat &
Hiero-

Hierosolymis includit. Confectumq; leui momento negotium totum foret, nisi hoc quod memoraturus sum accidisset. Victo Mithridate in Armeniam tum Pompeius venerat. Hic præmisit in Syriam Scaurum. Qui Damasci obsidione Hierosolymitana audita, hanc etiam commodis belli expeditionem accessuram non putauit esse negligendam, & recta in Iudæam exercitum traduxit. Mox igitur à fratribus legati ad illum missi implorantibus vtrisq; auxilium & opem ipsi⁹. Sed caussa melior apud hunc Aristobuli fuit, non quod iustior videretur, sed quod fructuosior esset ipsi. Nam acceptis nonagies sexies(tantum enim constat valere Talenta CCCC. redacta ad nummum Romanum) adiudicauit regnum Aristobulo. Qui Romano præsidio firmatus mox Arabas Scauri interminationem veritos ac reuertentes persecutus, ad VIII. Millia hominum cecidit, inter quos & Antipatri frater Fallio obtruncatur. Ita Antipater & Hyrcanus ab Arabibus concepta spe falsi, eadem via qua Aristobulus ipsos circumuenerat, contra illum ingrediendũ esse statuerunt. Venerat eo tempore & Pompeius in Syriam. Hunc igitur adeunt & de Aristobuli iniurijs queruntur, & defendi se petunt contra iniustam vim. Pompeius vel

æquitate caussæ, vel insolentia Aristobuli motus decernit regnum Hyrcano. Illo tem pore Hierosolyma capta fuerunt à Pompeio, & templum violatum. Postea & Alexandro Aristobuli filio, & ipso Aristobulo multa frustra conantibus, ortoq; bello ciuili, & C. Cæsare Aristobuli opera in Iudæa occupanda volente vti, Id tum factum fuit, vt & Aristobulus & Alexander filius interimerentur. Vtq; Antipater mox Pompeio occiso placaret C. Cæsarem, & illi opera ac virtute sua conciliaretur, Cui etiam gratificans Cæsar Pontificatum confirmauit Hyrcano. Ac postea accusante eum Antigono Aristobuli filio arctius complexus, à se detulit munus, quod ipse dari sibi petijsset. Cuius rei iudicium callide Antipater ad Cæsarem cum reiecisset, toti Iudææ prefectus fuit, & ab eo tempore ἐπίτροπος Iudææ appellatur. Hæc Cæsaris in Antipatrum beneficia incisa æreis tabulis, & in Capitolio deposita fuerunt. Obtinuit præterea vt mœnia Hierosolymitana instaurare sibi liceret. C. autem Cæsare interfecto, cum Syriam Cassius occupasset, Iudæa quoq; in ipsius potestatem venit. Ijs temporibus à Malicho quodam Antipater veneno, necatur, quem postea Herodes Antipatri filius simulata amicitia Cassij tribunis confodiendum

endum obiecit. Erat autem Herodes ſecundus filius Antipatri ex Cypride nobili muliere ex gente Arabum. Primum enim hæc illi Faſaëlum genuerat. Hos Caſsio & Bruto in Theſſalia victis, Tetrarchas Iudeę eſſe M. Antonius iuſsit. Poſtea Antigonus Ariſtobuli filius Parthis adductis occupauit Hieroſolyma. Tum Faſaëlus captus & Antigono traditus capite in ſaxum illiſo moritur. Herodes in Arabiam fugit. Hyrcanus autem vinctus à Parthis abducitur. Cum autem Herodes beneuolentiã apud Arabas ſperatam & debitam generi nõ inueniret, ac potius inimicũ regem illo tempore Malichum experiretur difficili itinere in Aegyptum, & inde difficiliore Romam peruenit. Vbi fortuna arridente autore & adiutore M. Antonio & fauente Cæſare Octauiano Rex Iudeę à Senatu appellatur: Hoc actum fuit Olympiade centeſima octogeſima quarta. Cn. Domitio Caluino iterum, & C. Aſinio Polione Coſs. Poſtea cum Antigono bellũ geſsit triennio. Tum & Hieroſolymis captis, milites tam Romani quam populares victoriam crudeliter exercuerunt. Ipſe autem Antigonus Soſsio ductori Romani exercitus ſeſe tradidit, à quo ad Antonium miſſus & ſecuri percuſſus fuit. Reliquus erat Hyrcanus & huius

ex

ex filia nepos Ariſtobulus, natus annos XVII. quos ambos paulo poſt curauit interficiendos Herodes. Ita regio genere Iudæorum extincto, regnum occupat ſine controuerſia externus Idumæus. quibus quidem eſſet cum Iudæis quædam, vt ita loquar, affinitas, ſed qui Iudæi vere perhiberi non poſſent. Etſi Nicolaus familiaris Herodis ipſum Iudæum fuiſſe aſſentans Herodi, vt in alijs plæriſque, ſcripſiſſe traditur. Quin etiam negatur Idumæus genere fuiſſe, ac perhibetur omnino originem alienam habere à Iudæis. Nam autt huius Herodem miniſteria ſacrificiorum obijſſe in templo Apollinis Aſcalone (id quod ſcripſit etiam Euſebius) Antipatrum autem filium, Herodis magni patrem captum & abductum in Idumæam ibi longo tempore in ſeruitute manſiſſe & procreaſſe Herodem, quod tenuior eſſet res familiaris patris, quam vt eam pecuniam quanti filius æſtimabatur, poſſet perſoluere. Poſtea tamen liberatum fuiſſe ferunt vna cum filio Antipatrum collata pecunia redemtionis à ciuibus communiter. Et ita eum in patriam redijſſe. Cum autem præfectus poſtea fuiſſet Iudeæ, quo minus ab illis deſpiceretur, ipſorum religionem amplexum & proſelytum id eſt aſcititium Iudæum factum

ſcripſit Epiphanius, cum ipſe & filius Herodes circumciderentur. Hinc eſt quod Idumæum alij hunc perhibent, alij Aſcalonitam fuiſſe norunt. In hac narratione ideo fui prolixior, vt appareret illo tempore quod incidit in Olympiadem CLXXXV. in Iudęa reges & duces populares atque indigenas eſſe deſijſſe: Quam de Ioſephi ſcriptis contexui ſumma fide, vt ſcriptoris gentis Iudaicæ autoritas eſſet maior & indubitatior fides. Qui & Aſamonæum, nobilitate generis & dignitate pontificia excellentis domus, imperium poſt annos CXXVI. in Antigono rege deſijſſe ſcripſit, duobus reliquis ſtirpe iſtius Hyrcano admodum ſene, & prorſus puero Ariſtobulo Alexandri F. (cuius ſoror Mariamne cum Herode nupta eſſet) paulo poſt interfectis. Quod tempus idem autor ait incidere in Olymp. CLXXV. & ita potitum eſſe regno Iudææ Herodem familiæ plebeiæ hominem & ignobilis generis, qui aliquando etiam periculum capitis adijſſet, vocatus in iudicium & deprecante Hyrcano conſeruatus, cum quidam tunc Iudæus Phariſaicæ ſectæ Polion prædixiſſet: Herodis ſalutem ad autorum illius perniciem euaſuram eſſe. Poſt hæc tempora orto bello inter Cæſarem & Antonium & ad Actium Antonio victo, quamuis Herodes Anto-

Antonij partes fouiſſet, Tamen Cæſaris beneficio regnum retinuit. Poſt quod tempus & multiplice atq; munifica liberalitate animos Iudæorum ſibi conciliare, & varijs artibus fauorem Cæſaris demereri, & Iudęam ornare atq; augere non deſtitit. Cum autem regnum ab eo tempore, quo ſenatus decreto primum illud acceperat, tenuiſſet annis XXXIII. poſt ſuperatum autem Antigonum & recepta Hieroſolyma annis XXIX. plus minus: Natus fuit filius DEI matre Virgine perpetua Maria in vrbe Bethlehemide: Anno imperij Auguſti XLII. Quo Coſs: eſſent Lentulus Getulicus & Meſſala Coruinus. Quæ eſt ratio & ſeries temporis exquiſite collecta & accurate explicata ab Epiphanio, In diſputatione contra eos quos vocat Alogos. Sed hoc tempus ab initio ducatur occupati Imperij à tribus viris. Ex quo autem & Lepito remoto & ſublato Antonio penes vnum Auguſtum ſumma rerum fuit, erunt hi anni XXIX. Cum autem temporum ratio conſentiat, ſi quis minus ſcrupuloſe eam ſubducat, momenta quædam ſubtilitatis diſcrepantia, piam & religioſam mentem conturbare non debent. Nam in annis conſularibus quo minus cum perfectis XII. menſium ſolaribus conſentirent permulta accidere

potuerunt. Et in his nimis anxie exquirendis se torquere curiositatis exercitatio fuerit, non pietatis. Esse autem inexquisitam & dubiam rationem temporis in annos Imperiorum ac regnorum distributi, etiam veteres autores historiæ viderunt. Et Thucydides grauiss. scriptor negat certum tempus de annuis magistratibus aut similibus notationibus posse indicari; cum alijs de caussis tum quod res talibus conuersionibus annuis, aliæ incipientibus, aliæ medijs aliæ vertentibus gestæ fluctuent atq; implicentur. Ideò ipse tempora in hiemes & æstates diuisit, quibus & compleri & dimidiari annos omnibus perspicuum est. Itaq; in illud tempus quod posuimus incidere ortum humanum Christi credamus. Quem esse volunt annum tertium Olympiados centesimæ nonagesimæ quartæ, quod & ipsum conuenit cum Flauij Iosephi enumeratione. De die vero id teneatur in quo omnes consentiunt præter Epiphanium (cuius autoritas tanti esse non debet, vt Græcorum Latinorumq; hac in parte summam concordiam labefaciat) Decembris eum fuisse XXV. Declarant & scripta hoc illorum, & solennes feriæ, quæ nunc etiam immutabili religione celebrantur. Nascitur igitur in terris homo factus, filius DEI æterni,

terni, Quo anno diximus, nocte Brumali, id est ante VIII. CL. Ianuarij. Sic enim, vt scimus, tum Solis iter notarunt, vt quatuor illas præcipuas in anno metas attingi ab hoc ad octauas signorum partes trāderent secundum Metonis & Eudoxi fastos. Neq; in hoc die tantum concordat obseruatio publica, sed in eo etiam quo diuinitus hunc fœtum virgo mater concepit, relatus in VIII. CL. April. A quo ad VIII. CL. Ianuarij id interuallum est quod inter conceptionem & puerperium esse consueuit. Hoc loco & propter Epiphanij rationem, & ob quorundam præposteras dubitationes, quorundem etiam audaces perscrutationes (nam impij conatus hæc euertendi versutiæ humanæ, nobis execrandi sunt) sed ijs de caussis quas retuli de hoc toto genere nonnihil dicēdum putauimus. Primum omnium si cui non est persuasum diuina esse hæc quorum autoritate nititur fides Christianorum, scripta, & SANCTVM spiritum habere magistrum atq; autorem, eum vitantes auersemur neque studeamus docere nostris disputationibus veritatem illorum. Quibus autem hoc certum & fixum est; ijs non fuerit difficile assensionem suam huc etiam applicare, ne quid temere aut ambigue aut dubie aut dissentaneum in

modum expoſitum eſſe exiſtimet, quamuis omnia perſpicere & aſſequi ipſi nequeant. Hæc rationi & intelligentiæ humanæ probari non poſſunt, quippe quibus illa reprimatur atq; confundatur. Et ſimul euidens eſt aliena hæc eſſe & eximia extra iudicium & captum omnem ingenij humani poſita. Conſtat enim IESVM Chriſtum aduentum & doctrinam & adminiſtrationem vniuerſam muneris ſui, non voluiſſe neq; vllo ſapientiæ artificio explicari, neq; virium humanarum robore confirmari. Sed vidiſſe, longe alia & admirabili quadam ratione, ſimplicitatis nimirum tantæ, vt ſpeciem illa præ ſe ferret ſtulticiæ, ad maximarum rerum demonſtrationem opus eſſe, quippe cum illæ non humanæ neque terrenæ ſed diuinæ eſſent atq; cœleſtes. Quocirca aliter hæc quàm humanæ ſagacitatis ſcripta legenda ſunt. Non inuentionis induſtria, non diſpoſitionis ſtudium, non probabilis expoſitionis cura, non copia orationis in his quærenda. non etiam conſiliorum, occaſionum, euentuum perſecutio. Illo tempore noti ſermonis forma communi omnia commemorantur, ſimpliciter, indiſtincte, immo etiam alicubi confuſius, ſine ornatu & elegantia, ſine argumentorum explicatione, ſine differendi ſo-

licitu-


licitudine. Cœleſtium enim & diuinarum rerum immenſam magnitudinem, humani ingenij & mortalis facultatis anguſtijs includi & conuenire modulo non potuiſſe intelligendum eſt. Cum tamen ad hæc quoque cognoſcenda diligentia & cura requiratur, piæ & religioſæ alicubi dubitationes & quæſtiones vituperandæ non ſunt. Sed prauitatis & malitiæ vel inſidioſis aggreſsionibus vel hoſtilibus impreſsionibus, omnibus, vt dicitur, machinis eſt repugnandum. Quod ſi tamen aliqui perſtiterint in contumacia aduerſandi, relinquantur ac vitentur non minus caute quàm eæ beſtiæ, quarum alitus venenati eſſe perhibentur, cum manifeſta ſit in huiuſmòdi impietate peruerſionis pernicies. Tales fuerunt Porphyrius, Celſus, & cum alij tum quidam Iudaicæ originis Philoſabatius. Qui non modo quædam quæ non viderentur congruere exagitauerunt, ſed calumnioſe etiam nonnulla ad inſectandum, commenti fuerunt. Quod facile conceſsit talis Euangelicorum ſcriptorum editio, ſingulatim confecta ab illorum quatuor autoribus, vt ſcimus, cum commentarij potius eſſent veræ expoſitionis & ſimplicis, eorum quæ quiſque indicanda exiſtimauiſſet, vel monente potius SANCTO Spiritu crediſſet, quàm accurata iuſtæ hi-

ſtoriæ deſcriptio. Sed hoc iam, de inſtinctu SANCTI ſpiritus, purpuratis iſtis & elatis ridiculum fuerit. Redeamus igitur ad id quòd manifeſtũ eſſe diximus, quemadmodum profectò eſt, niſi quatenus in contumacia cæcis nihil eſt manifeſtum. Sed conſtat certe commemorationes illas noſtras Euangelicas (quæ ἀπομνημονεύματα ἀποστόλων, hæ ſunt alterius dictorum & factorum repetitorum memoria recitationes, à Sancto Iuſtino vocantur) breues eſſe expoſitiones veritatis, non exquiſitas aut copioſas deſcriptiones hiſtoriæ, quibus & cauſſarum atq; occaſionum explicatio, & temporum diſtributio, & euentuum explanatio continentur; qui eſt campus in quem humani ingenij vis & eloquentiæ facultas excurrere conſueuit. Quæ non placuit æterno DEO ad ſua illa peculiaria conſilia & diuinas actiones aſſumere, vt diximus. Itaque non legunt hæc qui ſapientiæ & virtutis ſpecie capiuntur, ſed ij modo, qui diuinitus inflammati deſiderio tenentur cognoſcendæ veritatis quæ his libris præclarè demonſtratur: Filium DEI DEVM aſſumſiſſe naturam humanam, in terris, & cum hominibus hominem verſatum, à ſua gente ad mortem prætori Rom. traditum pertuliſſe in carne crucis ſupplicium ad reconciliandum patri

æterno DEO genus humanum, & resurrexisse in vitam ad salutem omnium accipientium fide hoc beneficium, & nunc illum, IESVM inquam, qui est Christus, assumtum in cœlum participem esse factum omnipotentiæ diuinæ. Nunc igitur deinceps relata ab autoribus historiæ Euangelicæ fideliter recensebimus. Ita quidem vt capita tantum exponamus eorum, quæ ab illis, id est doctrinæ & rerum à Christo gestarum, prodita sunt. Neqȝ enim retexi illa debent, neqȝ fas est calliditate ingenij quasiqȝ lenocinijs verborum tantarum rerum religionem & tractationem ex sacra fieri quodammodo profanam, Cum diuinam illam orationem ab humanis architecturis corrumpi necesse, & ea quæ intelligentiam animi nostri excedunt, ne elocutionis quidem copia amplificanda sint. Nam quo accuratius expoliuntur, eo inter tractandum profaniora quodammodò redduntur. Quapropter sapientia & eloquentia hominum materias & argumenta alia quærat, quæ veluti conformet elaborationibus suis, hæc ne attingat, neqȝ terrenam facultatem in cœlum proferre ausit. Sicubi tamen res indigere quadam declaratione videbitur, hanc etiam ipsam timide & religiose exquisitam addere studebimus. Hoc igitur loco con-

co constituto tempore partus Virginalis, Olympiados c x c i i i i. Anno i i i. De die aliter Epiphanius, vnus quod ego sciam, omnium. Qui natalem Christi in ante diem v i i i. Iduum Ianuarij, qui scilicet mensis huius erit dies v i. confert. Coss. Cæsare Octauiano x i i i. & Silano Nerua. Et vocat hæc Epiphania ac Theophania, quod nomē apud alios quosdam est non natalis sed Baptismi Christi. quando ignoratum ante in terris celebratum nomen fuisse Christi, Hieronymus scripsit. In quo annorum, vt videtur, distinctio rationes Epiphanij turbauit. Qui hos integros consulares facere studeret. Est autem peruestigatio huius temporis apud Epiphanium ita subtilis vt admodum res obscuretur. quare relinquamus eam, & à Nicephoro expositum & cōsecratum huic memoriæ solennibus ceremonijs retineamus diem v i i i. c l. Ianuarij Getulico & Messala Coss. Id satis esse nobis poterit. Omnia autem etiam momenta persequi, neque necesse est & inutile fuerit. Tunc igitur virgo conceptum fœtum effectione Sancti spiritus, Dei æterni & suum filium vnicum peperit. Verum hominem & corpore & animo, coniunctum cum vero Deo. Neque vlla re dissimilis ille aliorum hominum fuit, solis erroribus

roribus & peccatis exceptis, quorum penitus expers esset. Itaque & virgo partu hunc fœtum diuinum suo, vere edidit, vt naturæ cursus in hac parte non mutaretur, nisi quod neq; virginis puritas læsa, neq; sanctitas afflicta fuit, Neq; dolores ipsa, quibus obnoxia esset Euæ posteritas, enitendo pertulit. Nascitur autem in oppido vicóue Bethlehemitico, nam infrequens tum fuisse perhibetur ille locus (Absuit Hierosolymis paulo longius VI. M. Pass.) In stabulo quod & antrum nominarũt, Speluncam Hieronymus, qui in villam Bethlehemicam secesserat. Ibidem & post dies octo in diuini fœderis & populi DEI societatem receptus, & ritu ab Abraamo primum obseruato, circumcisus fuit. Hoc loco quæsiuerunt aliqui, Cur Iosephus & Maria virgo posteritas Dauidica huc venerint, Hierosolymis præteritis, vel cum illac forte transijssent. Nam aut relinquenda ad læuam dextrámue (designationes enim diuersæ ex positæ sunt) tendentibus Bethlehemum, aut transeunda Hierosolyma fuerunt. Quorum situs ad Austrum magis vergeret. Item cur hæc Dauidis vrbs nominetur, Quæ appellatio sit Hierosolymorum. Quod ad priorem dubitationem attinet, sane mirari aliquis posſit, si cognatam habuerit Elizabetham



betham Hierosolymis, non ad illam potius diuertisse. Sed Iosephus forte Bethlehemi suæ cognationis originem habuit. Aut Hierosolymitanam professionem aliis de caussis vitauit, quas vt ignoremus, aliquas fuisse oportet, vt secundum vaticinationes priscas & æternam voluntatem DEI virgo Bethlehemi pareret puerum illum Ducem & autorem salutis & vitæ æternæ. Quod autem Hierosolymorum hęc eximia fuerit appellatio, constat, sed nihilominus & huic congruit vel vico vel oppido, vbi Dauidem & natum & educatum esse scimus. Quam ob caussam etiam credibile est ibi potiss: profiteri nomen Iosephum voluisse. Quæ cum omnia Hebręorum libris explicentur, non est quod nos in hac mentione moremur diutius. Fuit interuallum loci inter Nassarenum & Bethlehemicum oppidum, non breuius, ac longius fortasse M. Pass. Centum, Quod iter pius maritus cum propinqua partui coniuge, vt potuit, in tenui fortuna & angusta re, tum confecit. Neq; melius aut commodius acceptus, cum omnia loca habitationum accupata essent, in stabulo diuerti coactus est, ibiq; Rex cœli & terræ in hanc vitam partu virginis, editus fuit. Hoc etiam loco insistendum nunc quoque paululum videtur, vt cõsideremus:

Lucæ

Lucæ narrationem. Qui cum tempus nati Christi perhibeat fuisse illud, quo census ageretur iussu Cæsaris Augusti, fuere qui Historiam confundi suspicarentur. Nonnulli etiam ad explicandum quædam comminisci non dubitarunt paulo etiam absurdiora. Sed simplici veritatis expositioni simplex fides & assensio debetur. Id igitur fuit tum Cæsaris Augusti tempus, quo omnibus aduersarijs suis superatis, parta pace terra mariq; , Et portis Iani clausis; censum hunc agi iussit. quo suspicati quidam sunt, etiam I E S V infantis nomen relatum fuisse. Ita diuina prouidentia hæc moderante, vt æterni patris æternus filius, & vere esse homo, neq; ad terrenum regnum constituendum venisse intelligeretur. Qui fuerit vel Cureneus vel Quirinus hic præses, & ipsum quæsitum constat, facit autem mentionem huius Iosephus, quo loco docet Archelao relegato hunc virum consularem in Syriam missum fuisse ad auctionem faciendam bonorum Archelai. Sed quamuis & inter consolum nomina quæ exposita habemus, hoc reperiatur cognomentum Sulpicij cuiusdam quem Dion Cos. fuisse refert cum Messala: Tamen satis esse debet, quod à Luca scribitur, In Syria Curenium fuisse præsidem censionis illius tempore, & di-

ferte

ſerte huius profeſsionis mentionem facit Lucas, cum dicit de ea ſe loqui quæ primò facta fuerit. Significans alteram etiam non per totum orbem ſed in Iudæa tantum indictam fuiſſe ad hoc miſſo Cyrenio, cum Archelaus eſſet relegatus. Cuius fit mentio à Luca in Hiſtoria Apoſtolica de Iuda Galilæo. Euſebius autem in conſiderate in hanc poſteriorem annis XI. Chriſti in terris ortum contulit confuſis in mentione cenſus ac nomine Cyrenij temporibus Sed de his ſatis. Nunc igitur reliqua attexamus. Nato filio DEI in terris, nomen inditum fuit IESV, quemadmodum iuſſerat diuinus nuntius. Et poſtea Hieroſolymis in templo, ſecundum Moſaicæ legis præſcriptionem, Sacertodibus oblatus, & à Simeone ſene acceptus in complexum gratiſs: & vaticinante Anna, quod ipſe eſſet Chriſtus, declaratus fuit. IESV autem parentes omnibus ſecundum legis præfinitionem rite peractis, reuerſi tum quidem fuerunt in vrbem Nazaretida, vbi domicilium habebant vt ſecundum voluntatem diuinam iam & ipſam à vatibus indicatam, Nazarenus vocaretur CHRISTVS. Atque nunc deinceps ſeries hiſtoriæ poſtulat, vt narrationem de Magorum CHRISTO oblatis muneribus attexamus. Sed hoc loco quidam curioſi

propter

propter descriptionem historiæ Euangelicæ minus quasi arcte concinnatam, occasionem arripuerunt, inquirendi in hæc tanquam minus consentanea. Illi igitur hoc loco expositionem historiæ Christianæ vt dissentaneam & vanam, eludere nefaria audacia conati fuerunt. Cum tamen vt quicq; in sua ignoratione vel cæcitate potius aliquem eorum fugit, ita incurrens in veritatis sermones, ipse sese euerterit, illam non labefactarit. Male autem & hoc loco duorum narrationem contexentes, Quo pacto, inquiunt, potuit fieri, vt vno die nascceretur in oppido Bethlehemico IESVS, & eodem tempore Octiduano ritu circuncideretur, & post dies XL. deferretur Hierosolyma vbi testificatione Simeonis & Annæ celebraretur, cum ea nocte qua natus fuit puer ille, post Magorum discessionem, admonitus Iosephus per quietem insidiarum Herodis, exportauerit eum in Aegyptum. Sed enim hoc istorum calumniosa prauitas comminiscitur, atq; inculcat, Euangelica commemoratio non est talis, vt vel verbis ijs, quæ hostes veritatis referunt, composita, vel eum sensum quem eliciunt præ se ferre videatur. Vbi enim scribitur, obsecro, aut quid omnium cogit intelligere eadem nocte omnia illa fuisse gesta? Quid ergo

go Matthæus ait? Bethlehemi nato IESV aduenisse Magos. Neque tamen definit vel annum vel mensem vel diem. Sed potiente rerum Herode id factum dicit. Potuit igitur fieri post annum. Potuit fieri post biennium, vt Epiphanio placuit, hoc maxime argumento, quod Herodes interfici pueros bimulos iusserit, inter illos de Magorum indicio IESVM occisum iri sperans. Sed additur ibidem & minores pueros interemtos fuisse. Vt hæc accidere intra biennium potuerint. Atque vt disputationem hanc in pauca conferam, Et de tempore, &, nisi admodum fallor, de loco, & de ipso genere hominum, à quibus tum CHRISTVS cultu & honore affectus fuit (quod Arabicum fuisse Iustinus censet, aliqui Balaami posteritatem suspicati sunt) piæ & religiosæ cogitationi, quas coniecturas sequi & quid statuere velit, liberum relinquitur. Tantum igitur de his dixisse satis sit. Nunc historiam persequamur. Nato in oppido Bethlehemitico IESu, qui est CHRISTus, intra biennium, aduenere quidam profecti ex ijs locis quæ ad ortum Solis Hierosolymis exeuntibus sita sunt. fuerunt autem Hierosolyma, vt notum est, Iudaicæ gentis ab antiquo caput, In Palæstina sita vrbs, Solyma veteribus dicta, quod & Homero

nomen

nomen notum fuisse arbitrantur. Hanc tenētes Iebuseos nationem Chananeam cum deuicisset, cœpit Dauides, & in ea regiam sedem collocauit, qua de re & Dauidis vrbs appellata. Templum autem illud admirabile extruxit primum Salomon. Hæc ad Orientis Solis plagam habuit Persas & Arabas, ad Meridiem Aegyptum, ad occasum mare Cyprium, ad septentriones Syriam. Magi autem Persico nomine fuerunt illis in regionibus viri docti & studiosi cum aliarum sapientiæ disciplinarum, tum siderum & cœli scientiæ. Hos autem de quibus nunc loquimur, etiam pios fuisse & religiosos necesse est, Quiq; doctrinam de CHRISTO Iudæis promisso diuinitus vt rege ac DOMINO, cognouissent. Hi igitur animaduerterunt in cœlo Sidus regium, Et vel aliqua de maiorum suorum prædictione, vel literis prodita significatione, vel diuina etiam demonstratione, intelligentes quid portenderet ortus illius, quæ preciosissima haberi, & à se in omnes gentes exportari solere scirent, ijs compositis & in sarcinis suis reconditis, ducem stellam secuti, Hierosolyma peruenerunt, & regium gentis puerum in regia, vt par erat, quærentes, accesserunt ad Herodem sciscitantes de natu rege Iudæorum, cuius sidus longe ad Orien-

tem vidiſſent. Ea res conturbauit cum Herodem ipſum tum omnes incolas Hieroſolymorum. Illum auxietate regni retinendi, hos partim metu, partim cupiditate rerum nouarum. Exquirit igitur rem attentius Herodes, ac cognoſcit de peritis ſacrarum literarum, ad Meſsiam hæc pertinere. Et eſſe in ſacrorum vatum libris, futurum vt huius ortu nobilitetur Bethlehemum. Quo audito liberaliter habitos Magos, dimittit à ſe Herodes, & hortatur ſi puerum inuenerint, ad ſe vt reuertantur, Nam & ſe venerari cupere diuinitatem illius. Digreſsis ab hoc Magis ſtella ſe rurſum exultantibus gaudio oſtendere, & præire ac ducere, donec eo fuiſſet ventum, vbi tum puer erat vna cum matre. ſupra illas igitur ædes cum inſtidiſſet ſtella, Magi, id quod erat, rati, ibi ſe eum quem cuperent reperturos, ingreſsi in domum illam, inueniunt ibi puerum vna cum Maria matre ipſius. promunt igitur ea quæ attulerant, Aurum, Thus, Myrram, & abijcientes ſeſe in terram, puerum venerantur vt DEVM. per quietem autem diuinitus ad Herodem reuerti vetantur. Quos diu fruſtra opperiens Herodes, vbi ſe ab illis deluſum animaduertit, ira & formidine exagitatus, homo animi impotentis, Omnes paruulos in regione Beth-

Bethleemitica & finitimis locis iubet interfici, natos annos duos, atq; etiam minores. sollicide enim percontatus de Magis, quo primum tempore sidus illud conspexissent, & inde ratione temporis subducta, ad biennij summam suum metum adduxerat. Sed humana prudentia simul atq; potentia, necquicquam luctatur cum diuina vi & numine celesti. Semper enim aut in tacitis consilijs DEVS omnibus mortalibus prouidentior, aut in actionibus & rebus gerendis valentior reperitur. Hic monuerat statim Iosephum ad discesionem Magorum, videret puero, atq; illius salutem tueretur. esse enim qui vitam ei eripere quærerent: Itaq; matrem & filium deueheret in Aegyptum vbi tuto latere possent, dum inde reuocarentur. Hoc vt per somnum Iosepho oblatum fuerat experrectus ille nihil contatus, cum virgine Maria & puero IESV proficiscitur in Aegyptum. Hoc, secundum Epiphanij sententiam, factum fuit anno regni Herodis Magni circiter XXXV. Quo post biennium mortuo, reuocatur Iosephus celestis nuntij voce, cum esset puer IESVS quadrimus, Archelao Herodis Magni filio regnum paternum vendicante. Sunt tamen qui ex Aegypto redijsse Iosephum & reduxisse perhibeant IESVM natum annos plus minus

ſeptem, quod quinquennio ferme abfuerint, cum in ea loca diuertiſſent, vbi aliquando Hebræi relinquentes Aegyptum, caſtra habuiſſent. hæc vicina faciunt Heliopolitanæ vrbi, quæ abfuit Naſſarethide circiter C C L. M. Paſs. itinere nimirum octidui, quemadmodum ſitus locorum exponuntur. Sed ad famam regnantis Archelai Ioſephus vel ſucceſsionem filij in regnum metuens, vel territus rumoribus crudelitatis illius, cum in Iudeæ regionem ex Aegypto reuertens veniſſet, dubitauit ſolicito animo vbi nam ſubſiſtere deberet. Ac rurſus omni cura liberatur certior factus à diuino nuncio, Tranſeundem ipſi in Galilæam & ibi commorandum eſſe in ſua vrbe Naſſarethide. De his omnibus ſimplicem rerum narrationem ſumus executi, neque aliquid in conſideratione magnitudinis illarum veriſimiliter affingentes, neque contra quorundam hac in parte nimium ſibi permittentium, fictas narrationes diſputantes. Nam & quæ de Magorum, quos aliqui ab vltimis Indiæ regionibus ſuis narrationibus adduxere, cum Mœandrum & Dobaſſam ad obſeruationem & notationem ſtellæ deſignaſſent, ſed & alia quæ de horum profectionibus, comitatu, fortuna viæ tradita ſunt, Et de Aegyptiaco itinere quid commenti ocioſi

quidam

quidam homines non mali illi quidem fuerint, nemo fere omnium ignorat. Simili ſtudio ſimplicis & puræ narrationis, omittam ea quoq; quæ IESVS in pueritia mirabiliter feciſſe perhibetur, & Græci, vt indicat Epiphanius, carminibus ſuis celebrauerunt. Etſi idem Epiphanius magis pie quàm caute, affirmat in pueritia etiam oportuiſſe hoc modo diuinitatem pueri declarari. Et Hieronymus neſcio quid, ſane perquam magnifice memorat de quodam Matthæi Hebraico ſcripto. continente hiſtoriam infantiæ CHRISTI, quod corrupiſſe Manichęum quendam ait. Fit mentio & Aegyptij Euangelij continentis narrationes mirabiles factorum dictorumq; IESV. fit & ab Euſebio ὑπομνημάτων recentium, id eſt, quæ, vt ipſe ait, quidam χθὲς καὶ πρώην ediderint, continentium falſa & temere conficta de IESV Chriſti hiſtoria. Quid de libris quæſtionum ſeu interrogationum dicam? quos nefaria ſcelerata Gnoſticorum ſecta non dubitauit habere pro ſacris. Verum hæc nihil ad nos. Sic enim, quemadmodum certi autores demonſtrarunt, fieri oportuit, vt planum fieret ſecundum æterni DEI hominibus patefactum conſilium, filiū DEI eſſe IESVM, promiſſum CHRISTVM regem & DOMINVM, ad inſtaura-

tionem omnium, & salutem credentium ipsi. Quare ita deinceps quæ restant enarremus. Reductus IESVS ex Aegypto iam peruenerat ad ætatis annum XII. Solebant autem ad ferias, quarum nomen Hebraicum est Pascha, venire omnibus annis parentes ipsius. Natus igitur annos XII. puer, peractis solennibus ac reuertentibus illis remansit in templo. Illi suspicati inter cognatos eum & familiares sequi, perrexerunt. Ac confecto itinere diei vnius cum requirentes eum non inuenirent, consternati animis ac trepidantes ob neglectius à se custoditum puerum, recurrunt Hierosolyma, Ibiq; inueniunt eum in templo inter sacerdotes & sacrarum literarum peritos, modo audientem ipsos modo interrogantem. Qui omnes ad sapientiam & responsiones ipsius obstupescere, & considerantes ætatem pueri incredibili admiratione affici. Cum autem mater expostulare cœpisset cum filio ob desertionem sui, & commemorare quam anxie & quo cum animi dolore requisitus à parentibus fuisset, & quod se ab ipso relinqui non oportuerit: Tum quidem IESVS ita hæc remouit vt diceret, necesse sibi fuisse obire munus & curationem à patre datam. Nihilominus tamen vna cum illis discesit Nazarethida, vbi domi-

cilium

cilium habebant, & obnoxie paruit iussis eorum. Quamuis autem Maria quæ dixerat filius non plane intelligeret, animo tamen illa suo recondens notauit. At puer IESVS, quantum annis crescebat tantum sapientia augebatur, eratq; cum ipsi DEO gratus tum omnibus hominibus acceptus. Quæ origo in terris sit CHRISTI qui est IESVS filius DEI & filius Mariæ vnus vere DEVS & vere homo, exposuimus interpretantes eos, qui de subiectione SANCTI spiritus illa literis mendauerunt. Quæ vero ab annis XII. dixerit aut fecerit IESVS totis sequentibus annis XVIII. dum trigesimus compleretur, quod nihil tradiderint neq; scripserint autores Euangelicæ historiæ, nos etiam pij & religiosi animi cogitationibus relinquemus potius, quàm vel de dubijs & non admodum grauibus narrationibus, vel de nostris coniecturis colligentes persequemur. Cum tamen hoc dicat Lucas, fuisse subiectum seu subditum eum suis parentibus, intelligi facile potest & iussa materna ac Iosephi strenue exequi, & omnibus in partibus vitæ adiumento esse studuisse, neque in oppido non admodum celebri, ac re familiari tenui, aliam quam honestam quidem sed humilem & ignobilem vitam vixisse. Iustinus sane

ſcripſit, & pro fabro habitum eſſe IESVM, & opera fabrilia elaboraſſe verſantem in hominum ſocietate, nimirum aratra & iuga. Quorum ſignificationem eſſe vult doctrinæ de Iuſticia & vita non opararia (ipſe ἀεργῶ vocat) Sed de his ſatis vel nimium quoque. CHRISTO nato, vt diximus, anno regni Herodis XXXII. Octauiani Cęſaris XLII. reſtant IIII. Herodis, ſequuntur IX. Archelai, hi fiunt anni XIII. & incidunt in LV. regni Cæſaris. regnauit autem hic ſecundum Ioſephum annis LVII. ita reperitur CHRISTVS natus fuiſſe annos XV. cum ſucceſsit Octauiano priuignus Tiberius. huius regni anno XV. baptizatus fuit CHRISTVS & docere ac ordiri cœpit opus ſalutis & liberationem generis humani, anno XXX. ætatis ſuæ. præerant tum Iudęæ aliquot rigionibus fratres duo patre vno Herode Magno, matribus duabus geniti, Herodes cognomento Antipa, Mariamnes pontificis Simonis filiæ, & philippus Cleopatræ Hieroſolymitanæ filius, his enim dimidium regni Archelai relictum & inter ipſos diuiſum fuerat. Cum autem Antipa ad regni adminiſtrationem peruenerit ante Tiberium, id eſt relegato fratre Archelao, annis II. fuit nimirum tum annus ipſius XVIII. Hæc tempora ſecundum Ioſephum

ſephum & alios qui hæc literis mandauerunt, pleraꝗ diſtribuuntur & ad vnguem, vt dicitur conueniunt. Tum igitur imperium populi Romani regium obtinente Tiberio, In Galilæa Herode Antipa regnante, præſide Iudeæ Pontio Pilato, IESVS Chriſtus opus ſalutis noſtræ perficere orſus fuit. Qui quidem eſſe credabatur Ioſephi, ſed, vt oſtendimus, caſtiſsimæ & perpetuæ Virginis Mariæ ſolius, & DEI filius fuit, ortu ſecundum humanam naturam regio, & ſtirpis Abrahamicæ. Cuius genealogiam per quatuordecim generum quaſi gradus indicauit Matthæus. Lucas adduxit vſꝗ ad primum generis humani parentem. Etſi autem diuerſæ ſunt enumerationes horum, tamen nobis neꝗ fides alterius vtrius dubia, neꝗ veritas incerta eſſe debet neque poteſt, præſertim cum in auo conſentiant. Et omnino hæ res diſputationibus longis & ſubtilitate argumentorum non explicantur. Itaꝗ hoc quod eſt caput teneatur: IESVM Chriſtum hominem natum eſſe de virgine, cum quidem patrem hominem haberet neminem, habere tamen crederetur Ioſephum, & hanc illam poſteritatem atꝗ ſobolem eſſe Dauidicam, quæ de radice poſtremo enata hunc pulcerrimum & mirificum florem protulerit, ſecundum oraculo-

rum veterum prædictiones. Nam nobis quidem facile explicari poſſunt omnia, ſi qua forte inter ſe diſſentire videantur, qui contentione omni repreſſa, ea quæ religionis fide continentur, pia aſſenſione admittimus, malumuſque ſimpliciter credere diuinæ hiſtoriæ, quam humanas inquiſitiones callide perſequi. Hinc igitur iam expoſitio Marci procedit à tempore, vt Lucas notauit, anni x x x. ætatis CHRISTI. Quando IESVS ad Ioannem venit & miniſterio Baptiſmi vt in aquas Iordanis demergeretur, vſus fuit, Et benignitas DEI æterni ita ſe effudit, vt tota natura diuina & quicquid in hac ineſt atq; conſiſtit, id eſt vnius æterni DEI tres perſonæ, manifeſta ſpecie demonſtrarentur, ipſiſq; etiam ſenſibus hominum, vt ita loquar, ingererentur, ne quis aut non omnino. aut obſcurius indicata hæc eſſe dicere auſit. Cum enim veniſſet ad Baptiſtam (hoc demerſionis miniſterio nomen impoſitum Ioanni fuit) IESVS, & ab illo ſe in aquas Iordanis demergi ritu mandato ipſi diuinitus poſtulauiſſet, Ioannes primum recuſare, atq; merſione magis ſibi ab illo, quam ipſi à ſe opus eſſe dicere, mox tamen obſequens, vt par fuit, voluntati & iuſsis CHRISTI, munus exequitur ſuum. Recipiente autem ſe de fluuio IESV,

vidit Ioannes ſupra eũ, qui eſſet filius DEI, SANCTVM ſpiritum offerentem ſeſe oculis & conſpectui hominum columbæ ſpecie. Et audijt vocem celeſtis patris ponunciantem, Eſſe IESVM illum filium DEI æterni in quo amor, caritas, beneuolentia paterna omnis acquieſcat. Hoc Epiphanius perhibet factum fuiſſe ante diem VI. Id. Nouembr. anno ætatis CHRISTI XXIX. Menſe X. id eſt non prorſus confecto anno XXX. & numerat integros dies LX. à Baptiſmi die ad diem natalem. Sed has exquiſitiones illi relinquamus. Cui & hoc placet, à Iohanne digreſſum quadraginta dierum ieiunium peregiſſe CHRISTVM, & deinceps circiter dies XIIII. manſiſſe in vrbe Nazarethide, & tribus diebus ſequentibus cum alios ſibi diſcipulos aſciuiſſe, tum Andream & Petrum, proxima autem Philippum. Tum & colloquium, inquit, illud inter IESVM & Nathaneëlum interceſsit. Inde triduo ad nuptias veniſſe Canas, & ita completos fuiſſe dies LX. vult, & nuptiarum diem in natalem CHRISTI confert. Iuſtinus matyr tunc etiam ignem in Iordane accẽſum fuiſſe ſcripſit. De ieiunio CHRISTI hiſtoria & ipſa eſt religioſa & relinquẽda cogitationib. pietatis potius quam verborum copia enarranda. Hinc autẽ IESVS
incho-

inchoans doctrinam suam ascitis illis duodecim, quorum nomina sunt nota, habuit satis beneuolos auditores Iudæos, & fuit omnibus grata & accepta pietas, & religio & sanctitas viri, integro pœne, vt Epiphanio placet, anno, quod putat à vate etiam Esaia prædictum fuisse, in mentione anni grati & accepti, quem Græci δεκτὸν vocant. facit & Iosephus scriptor historiæ Iudaicæ mentionem IESV in rerum his temporibus gestarum narratione, & eum affirmat fuisse CHRISTVM. Sed in nuptijs mirabiliter aqua in vinum, quo conuiuium deficeretur, mutata, apud suos max. discipulos in admiratione & gloria esse eximia cœpit, & hinc miracula orsum fuisse primum facere scripsit Ioannes. Hic dies fuit tertius post compellationem Nathanaëli, & pariter tertius incoatæ doctrinæ, fuit aquæ copia mutatæ tum in præstantissimum vinum ad metretas XII. diffusa aqualibus sex, hæ erunt amphoræ circiter quindecim. Ac refert Epiphanius suis etiam temporibus multis in locis idem compertum accidere, quod tum hac prima miraculorum editione: vt aquæ in vinum conuertantur, ad conuincendos dubitantes: Quemadmodum fons Cibyraticus & Gerasenus, quorum vtrunque dicit scaturire vino, ea hora qua hauriri tum

CHRI-

CHRISTVS aquam iussit in vinum commutatam. Idem ait vsu venire in Aegyptiaco Nilo, ideoq; die VI. Ianuarij id est Tybi XI. omnes Aegyptios aquam haurire & haustam condere, Quorum omnium fides esto penes ipsum. Nobis enim sacra historia dubitationem omnem eripit, neque alia argumenta colligere laboramus. In Nazarethide vrbe patria non diu mansit propter aduersantem contumaciam ipsorum, cum etiam illi interficere eum voluissent. Nimirum inuidia & odio incitati, quod humili loco apud ipsos natus, illa diuina cœlestis excellentiæ Elogia accommodare sibi auderet. Nam contemnentes genus ipsius quærebant, quis esset ille? qui & patrem haberet de officina Iosephum, & matrem pauperculam Mariam, & fratres apud sese atq; sorores. atq; ita alienabantur ab eo & autoritatem omnem detrahebant doctrinæ ipsius. Ad mentionem autem fratrum & sororum CHRISTI quidam scelerate audaces, post editum CHRISTVM de virgine, fratres postea huius & sorores procreatas esse à Iosepho asseruerunt. Quorum dementiam & Græcorum & Latinorum viri doctiss: grauiter & seuere confutarunt. Epiphanius autem docuit Iosephum fratrem Cleopæ, filium Iacobi

cobi cognomento Pantheros, tum cum receperit domum suam Virginem Mariam fuisse senem decrepitum, habuisseque susceptos liberos de priore coniuge senos, quatuor filios, Iacobum cognomento Iustum & fratrem appellatum IESV, Iosen, Simeonem, Iudam, & filias duas quarum alteram modo Annam modo Mariam, alteram Salomen nominat. Hieronymus autem docuit multis modis aliquos fratres appellari, vt hæc comminisci necesse non sit, ac appareat virulentam linguam animi peruersi nefarias cogitationes enunciasse, hoc conatu aspergendi labem obtrectatione impia sanctæ virgini. Verum hæc nos ne audire quidem velle debemus. Ac potius castissimæ virginis memoriam colere nunc quidem siue vna cum corpore seu absque hoc assumtæ in vitam æternam à filio. Id quod ideo vtrunque posui quia neutrum ijs literis quarum est sancta autoritas mandatum legitur. Quod quidam autem suspicati fuerunt, hanc in fide & confessione veritatis excruciatam & ferro occisam fuisse, secundum Simeonis vaticinium, vt coniectura est leuis, ita non esset hic exitus è vita virgini matri filij DEI inhonestus. Similiter & alia quæcunque ad celebrandam matrem CHRISTI virginem pijs & debitis laudibus

bus pertinent, ea teneamus & infamiæ probra huius, depellamus omnibus viribus. Fecere quondam & nunc faciũt quidam hanc Deam, si non verbis re tamen certe ipsa. Hi virginis honorem contaminant, tantum abest vt illustrent, sicuti ipsi opinantur. In hac autem parte suffragantur Euangelicæ expositiones, quæ & virginem concepisse filium DEI, & Iosephum patrem illius creditum qui non esset, dilucide tradunt. Hoc igitur quod explicatur certum nobis esse debet. De alijs si quis opinari improbe aut temere aliquid ausus fuerit, is de piorum cœtibus & societate excludatur. Historicæ quidem explicationes quatenus in dubijs vel similia veri persequuntur, vel certe fabulas non pingunt illis coloribus credulitatis, reijciendæ non videntur. Cognationem igitur IESV Christi & veteres pia scrutatione exquisiuisse scimus. & nostro tempore vir ingenio summo, præstante natura, studio & industria admirabili præditus Martinus Luterus, perquam scite, quantum ego possum iudicare, rem explicuit. Fuisse Iaobcum & Helium fratres Matthatiæ filios, & Iosephum Iacobi, Mariam Helij sobolem. Helio huic etiam Ioachimi nomen artribuitur. Matrem autem Mariæ Annam habuisse sororem Elizabetam vxorem Zachariæ.

chariæ. Ita Iosephus & Maria duorum fratrum proles reperitur. Baptista autem à CHRISTO in simili cognatione vno gradu remotior. Iam Mariæ materteram putat fuisse Mariam quæ Cleopæ adiungitur in historijs Euangelicis, & horum liberos Iacobum Iosen Simonem, Iudam. Salomem autem sororem Iosephi nuptam cum Zebedeo peperisse filios Iacobum maiorem & Ioannem. Ita consobrinos (qui certe fratres vocantur) habuit IESVS complures. Sed hæc considerare amplius volentibus propôsita relinquantur. Cum præsertim apud Clementem Alexandrinum legatur, non peperisse Salomen. Non putaui autem silentio prætereundum hoc loco, quod apud hunc scriptorem legitur, à quôdam Iulio Casſiano hæretico homine, multa fuisse ex Euangelio Aegyptio relata colloquia IESV & Salomes. Ex quibus horum meminit clemens. Interrogauit IESVM Salome: Quando futurum esset, vt cognoscerentur ea, de quibus fuisset sciscitata? Cum pudoris & turpitudinis, inquit IESVS, indumentum conculcaueritis, & quæ duo sunt facta vnum, & mas simul ac fœmina, neq; mas neq; fœmina fuerint. Rursum interroganti Salomæ: Quamdiu vis & potestas mortis duratura esset? Respondit IESVS,

IESVS, donec vos mulieres parietis. Et addidit: Venisse sese ad dissoluendum opera fœminæ. Salome vero cum audijsset mortis vim tam diu grassaturam, quam diu parerent mulieres: Recte igitur, inquit, feci ego, quæ non peperi. Cui IESVS respondit: Quamcunque radicem comede, sed habentem amaritudinem ne comedas. Hæc inserenda ideo putaui, quod, quamuis autoritatem ista haberent nullam, inde tamen intelligi videretur familiaritatem IESV & Salomes memoria fuisse celebratam: Et ne quis in serie generum exquirenda & ordinanda sese anxie torqueret. Id quod & Apostolus Paulus notat, vetans Timotheum suum fabulis animum attendere & genealogijs infinitis, parientibus quæstiones potius quam ædificationem DEI in fide: Et Titum iubens vitare stolidas quæstiones ac genealogias atque rixas. Neque ego tamen studium hac in parte veritatem perquirendi aut probabilia saltem consectandi, reprehendo, sed de inexplicatis & dubijs contentiones & plane inimicitias (quemadmodum interdum fit) suscipi, & coniecturas suas vnumquemque asseuerando certas atque firmas esse velle, & inhumaniter irasci, si de ijs ambigere aliquis forte audeat, Id vero & culpandum, & ab eruditio-

ne doctrinæ, inprimisq; religiosa pietate alienum esse statuo: Cum in omnibus, quæ ingenij acrimonia perspicere potest, mentis etiam acies præstringi & hebetare possit. Verum euagata hactenus expositio nostra & à proposito digressa, ad institutum prosequendum reducatur. IESVS igitur cum primum Nazarethide discessisset multa edidit in Galilæa & apud Capernaitas miracula, & tum reuersus in vrbem patriam, vt placet Epiphanio, in cœtu sacro aperto libro Esaiæ in illum eximium de Messia locum incidit, eumq; de se pronunciauit. Sed ciuium mox iniuriam & vim declinans, concessit rursum ad Capernaitas, vbi & domicilium habuit. Et deinde, cum eorum quos adiunxerat sibi, animos ac voluntatem ad sequendum sese confirmauit, tum alios etiam illorum numero addidit. Omnium autem quæ deinceps triennio docuit & perfecit expositio atque commemoratio est sacrorum librorum, quos reliquerunt autore SANCTO spiritu ij, qui ob hanc operam Euangelistæ nominantur. In quibus si quasi discordare quædam forte videantur, facile consensio reperietur ab ijs qui & negotia temporibus distinguere & ordine res disponere studuerint. Hæc igitur ab ijs, qui Christianos perhiberi se volunt, legenda &

da & cognoſcenda ſunt in libris Euangelicis, neque facere nos oportuit, quemadmodum ſupra diximus, vt hæc narratione noſtra quaſi retexere vellemus. Ad inſtitutam autem à nobis hiſtoriam quod attinet, & ſatis multa dicta, & quæ reſtant illis applicanda iam ſunt. Cum igitur Tiberius Romæ Imperium Regium teneret iam decimum Octauum annum, Antipa autem tetrarcha eſſet annos x x i. Septimo ferme anno præturæ Pilati, nam totos hic annos x. præſes Iudææ fuit, vt ſcripſit Ioſephus, tum igitur Iudaicæ gentis prauitas iritata ſalutari doctrina cœleſtis veritatis, ad autorem ſalutis & vitæ IESVM Chriſtum interficiendum ſeſe accinxit. Capita autem in religionis & cultus diuini adminiſtratione, hoc facinus conceperunt & hanc fraudem ſtruxerunt, & nefariam cædem effecerunt. Quæ priuſquam commemorarem, nonnulla prænarranda duxi, de quibus perſpiceretur qui rerum ſtatus illis temporibus Hiorofolymis fuerit. Herodes Magnus cum ſpeciem quandam Iudaiſmi ad oſtentationem retineret, veræ religionis ille quidem ignarus & plane contemtor, pro regio arbitrio alia etiam gerens atq; conſtituens, Sacerdotum quoq; ac pontificum deſignationem ſibi totam vſurpauit. Primumq;

Anaëlum pontificatu ſpoliat, & hoc ornat Ariſtobulum Hyrcani nepotem adoleſcentem. Quo mox inter natandum ſuffocato, reſtituitur dignitas Pontificis Anaëlo. Poſt hunc quidam Ioſephum Fabetis F. nominant, cui ſcribit Ioſephus ademtum Ponticatum fuiſſe collatum ab Herode Simoni Boëthi F. cum huius ille filiam vxorem vellet ducere. Simonem ſequitur Matthias. Quem & ipſum priuauit Herodes hac dignitate & quendam Ioazarem affinitate ſibi coniunctum illi ſuffecit. Tum natum IESVM Chriſtum Nicephorus in Chronicis ſuis retulit. Sed Ioſephi narratio hoc loco & ſuccincta & inexplicata eſt. Qui quidem Matthiæ abrogatum pontificatum memorat paulo ante Herodis mortem. Secundum Nicephorum ſecutus fuit Eleazar Ieſus, & hunc Oſeas Ioazar. Succeſsitq; huic Ananus qui eſt Annas. Quo remoto collatus fuit hic honor à Valerio Crato Iſmaelo Fabis F. Et deinde Eleazaro Anani F. Et mox anno peracto Simoni Camithæ F. Cui deinde ſubſtituit Ioſephum cognomento Caipham. Tum enim & venalis hæc dignitas & annuum munus iſtud eſſe cœperat. Quo quidem rurſum loco ſeries temporum intricatur. Nam hunc Caipham eſſe oportet anni illius Pontificem quo mortuus fuit

& re-

& resuscitatus IESVS Christus. Et hunc tamen scribit remouisse Vitellium Iosephus cum decedere iussisset Pilatum, ferme, secundum Iosephi narrationes, biennio ante mortem Tiberij. Vnde mihi cogitanti in menten venit penes Anani & Caiphæ factiones fuisse tum Pontificatus honorem conductum illum quidem & redemtum à Prætoribus Romanis. In Apostolica historia Lucæ fit etiam Alexandri & Ioannis mentio, qui generis Pontificij fuisse perhibentur. Quare mihi quidem in tanta confusione rerum & penuria scriptorum quibus illa saltem diligentius indicarentur, fieri non posse videtur, vt aliquid certi constituatur in hac parte. Commemoratio tamen sic etiam præclare procedet. Nam, vt dixi, Cum essent Romani Domini orbis terrarum, & Herodes Herodis F. beneficio illorum regnum Iudeæ teneret, & omnia apud Iudæos diuina & humana iura confusa essent: Cum neq; legum veritas custodiretur, neq; religionis sanctitas obseruaretur, relicta quadam sola specie sacrorum rituum & Ceremoniarum, quibus in summa ignoratione voluntatis diuinæ superbe & contumaciter gloriabantur: Cumque diuisus in sectas populus indies de via longius recederet, & in errorum atq; im-

pietatis exitium deferretur (Nam præter tres sectas illas notas, in alias quatuor etiam Epiphanius studia populi illius distracta fuisse narrat.) Tum igitur salutaris doctrinæ & vitæ ac salutis autor promissus populo Iudaico exhibitus fuit terris, & traditus à DEO immanitati & crudelitati ciuium suorum ea pertulit quæ mox commemorabimus. Doctrina autem veritatis æternæ quam explicuit & multis miraculis confirmauit IESVS, cum se esse CHRISTVM illustribus testimonijs sacrarum literarum & effectionibus mirabilibus declarasset, capitibus continetur duobus, quorum vnum est legis diuinæ obligatio, ostenditur enim omnes homines violantes diuinarum edictionum aliquam, iusto iudicio DEI condemnari & habere iratum DEVM. Habere autem iratum DEVM tale est, vt in ea omnia tristia & calamitosa & animi atq; corporis cruciatus summi contineantur, ita vt dum illa maneat, nulla liberatio aut subleuatio sperari posit. Cumque vniuersi in hac naturæ imbecillitate & occasionum iniquitate, delictis atq; peccatis implicari se sentiant, & in omnibus vitiosæ affectiones à primo ortu insint, quib. animus & voluntas deprauata non potest ea præstare atque efficere, quæ lege diuina præcipi-

præcipiuntur & exiguntur, reſtat vt legis diuinæ quaſi compedibus aſtrictum genus humanum miſerrimam ſeruitutem ſeruiat, addictum perpetuis erroribus & peccatis. In qua & æternum in exitium rueret niſi miſericordia propitij DEI liberatum conſeruaretur. Hæc autem eſt liberatio, vt ſatisfiat voluntati DEI & placetur iuſta aduerſus peccata hominum ira ipſius. Quod recepit in ſe filius DEI & ad hoc in mundum venit, vt cœleſtis veritatis eſſet teſtis apud homines & opus ſalutis noſtræ abſolueret. Vtq; noſtra peccata & odium DEI ac iram ſibi imponeret & ipſe ſuſtineret, & innocentia atque obœdientia ſua reconciliaret DEVM merito infeſtum generi humano ob auerſionem à ſe & cumulationem delictorum erga ſe illius. Itaq; omnes pœnas, quas luere hoc oporteret, ipſe perſoluit, & inimicitias inter homines & DEVM in ſe tranſtulit, & indignationem DEI ſubijt. Deniq; ea omnia egit atq; perfecit, quibus & æternæ iuſticiæ DEI fieret ſatis, & per miſericordiam reuocaretur caritas, & beneuolentia ac fauor confirmaretur. Atq; hoc alterum eſt caput doctrinæ Chriſtianæ, veritatis cœleſtis, & ſempiterni conſilij DEI. Quod & diuinam ipſam naturam cognoſcendam, quatenus capax eſt mens

humana, proponit, & ſententiam atque voluntatem illius exponit, & cultum atque venerationem quæ ei placeat, demonſtrat. Et colligit eum cœtum & id corpus coagmentat, cuius ductor & caput eſt ipſe IESVS Chriſtus, vbi perpetuo beneficia tanta ipſius cœlebrentur & doctrina exerceatur, & inchoetur in terris vita & ſalus & felicitas ſempiterna, in ſola hac vera & immutabili religione pietatis erga DEVM & homines. Ad quem cœtum qui aggregantur, ij quoniam ſermonibus & doctrinæ CHRISTI (quæ eſt declaratio voluntatis & ſententiæ, vt dixi,& propter CHRISTVM benignitatis diuinæ) fidem habent & religioſe aſſentiuntur, appellantur & ſunt fideles, ſoloque illo freti & in ſenſu mortiferi mali medicinæ opem hanc quærentes, & gratuito oblatam vniuerſis cupide & libenter admittentes, & ita CHRISTI gratia & ipſi cari acceptique DEO, vitam degunt quietam atque pacificam, in ſtudio honeſtatis & virtutis, in primis pietatis, non ſibi iam exiſtimantes ſe, ſed CHRISTO & in hoc ſibi conſociatis, vel alijs quoque omnibus mortalibus, decurrere ſpacium vitæ ſuæ. Hæc eſt fides ſancta & ſalutis atque vitæ efficiens, quæ habet fauorem æterni DEI propoſitum quo refertur & quem ſpectat conciliatum generi hu-

ri humano à filio Dei Iesu Christo. Neque est via salutis præter istam vlla, neque alio nomine contingere hæc potest, quam IESV Christi, eius, qui vt in se imposuit hominum delicta & ob hæc iustam iram Dei, ita meritam benignitatem communicauit & innocentiam instaurauit & vitam restituit vniuersis & requirentibus neque refutantibus, ij sunt qui CHRISTI doctrinam & audiendam & pia assensione conseruandam putant, & in hanc veluti caulam se conferunt, quæ est religionis & veritatis communitas, & græco verbo Ecclesia nominatur. Retuli breuiter oratione inelaborata summam religionis & pietatis Christianæ, de qua semper fuere & futuræ sunt contentiones & dimicationes. Nam quorum corda SANCTVS spiritus commouit, vt amplecterentur hanc doctrinam, quod est Euangelium regni Dei, ij ingente eam studio sequuntur, ita animati vt non modo facultates illius caussa amittere, sed mortem etiam oppetere, si necesse sit, velint. Alij qui vel falsa persuasione sanctimoniæ, & superstitione aliqua capti, vel huius vitæ commoda ac voluptates expetentes, vel quacunque tandem contumacia duri ac præfracti, illi aduersantur: Cum progressionibus ipsius & opiniones suas euerti & spem emolumen-

torum atque vtilitatum præcidi, & rationes suas conturbari videant, ita sæpenumero efferantur, vt oppugnationem huius omnibus rebus, negotijs curisque alijs præponant. Declarauit hoc omnibus temporibus furor & rabies aduersariorum doctrinæ huius, quæ cum sit antiquiss: doctrina, quippe sempiterna, tamen semper nouitatis nomine exagitata & repudiata fuit. Hominum enim illa certe vetustate nimis confirmatæ maliciæ & improbitati recens scilicet videtur. Est autem & per se scelerata vesania, opponere humanam vim potentiæ diuinæ, & miserabilis cæcitas animi, non cernentis id ipsum; quod effugere cupiant, hac acerbitate & vehementia allici & accersi. Quæ exempla alia si deessent, extaret vnum populi Iudaici omnis cogitationis atrocitatem superans. Hic enim, vt ad Historiam tandem reuertar, cum à CHRISTO ad vitam per doctrinam veritatis reuocaretur, maluit in errorum exitia præcipitari, & in hac peruersitate animorum atque dementia autorem & ducem vitæ nefario scelere interemerunt. Cum enim & doctrinæ cœlestis explicatione, & miraculorum complurium designatione, & inprimis Lazari mortui in vitam restitutione, quem post tridui sepulturam euocatum è monumento Be-

thaniæ

thaniæ excitauerat de morte, his igitur omnibus cum famam IESV, quod Chriſtus eſſet, creſcere & augeri animaduerterent ij, qui cum factionibus principatum in populo occupatum tenebant, non differendam rem arbitrati, neque patiendum vt longius ſerperet negotium, conſiliumq; habendum ſtatuerunt, de tuenda ſua autoritate & ſtatu præſente, & CHRISTO opprimendo. Huius conſilij caput fuit Caiphas & factio Saducæorum cum quibus alijs temporibus alieniſsimi, tum & Phariſæi conſenſerunt. Saducæi omnia bona malaque in hac vita conſummari credebant, extinctoq; corpore nihil fieri reliquum hominibus neq; vllam naturam eſſe expertem corporis & animalem. Phariſæi contra, poſt hanc demum vitam præmia contingere debita hominibus: Nam naturam eſſe animi in corpore mortali immortalem: Et futurum vt in vitam corpora quoq; reſuſcitentur. Eſſe autem & naturas expertes corporum inſeruientes DEO, angelos vocamus, & illi aduerſantes atq; obtrectantes, qui Diaboli dicuntur, alteras beneficas & amicas generi humano, infeſtas & exitioſas alteras. Horum exiſtimatio apud Iudæos eximia fuit, quod ſoli & legum ſecreta noſſe, & ſacros libros intelligere, & iura populi tenere, & religio-

religionem veram colere crederentur. Communi igitur consilio & solenni coacto, Synedrium vocabant, quod & grauiss: de rebus & singularibus casibus haberi solebat, querelæ primum vsurpatæ fuere, de CHRISTO, qui tantam sibi multitudinem adiunxisset, & quæri cœptum, quo in re magna & periculosa facto opus esset. Nam differri animaduersionem diutius nullo modo oportere. Metuendum enim, nisi prouideant, ne Romani crimine seditionis commotæ, in suam potestatem regionem vrbemque & templum ipsum redigere aggrediantur. In hanc sententiam multis vltro citroque, vt fit dictis: Is qui Pontificatum tum gerebat Iosephus Caipha: Quid nos, inquit, in re manifesta multis verbis vtimur, vbi vero est consideratio & sapientia consilij huius? An dubium esse vlli potest, autore & duce è medio sublato, asseclas celeriter dilapsuros, & futurum esse statim hic modus vt residat? Vnum autem hominem mori vt vniuersi conseruentur, rectum esse omnes confiteamur necesse est. Hæc erat oratio Pontificis non de ipsius sensu, sed prædictione veritatis, plane interpres diuinæ sententiæ, de morte IESV Christi, vitam salutemque allatura populi illi, & quod ipse insuper diuinam quandam sobolem piorum hominum

vbique

vbique gentium locorumq; disperſam in vnum cœtum congregaturus eſſet, ad ſalutem, incolumitatemq; & vitam ſempiternam. Sed deliberationis illius finis hic fuit, vt ſtatuerent IESVM interficiendum eſſe, occaſio tantum patrandæ cædis veſtigabatur. Itaq; IESVS in loca minus frequentia incolis ſeceſsit, & diſcipulos abduxit ſecum, manſitque in vrbe aliquantiſper quadam Ephraimide nomine. Iam autem prope aderat illa maxima & maximarum rerum memoriæ cauſſa inſtituta feſtiuitas Paſchatos, ad quam vndique ingens ſemper multitudo confluebat. Vbi cum non appareret, vt conſueuerat IESVS, aliqui cupidi doctrinæ ipſius vera animi affectione eum requirere. Principes autem populi ſuſpicari illum fugam arrepturum, & ne elaberetur metuere. Et edicere, vt quicunque comperiſſet vbi lateret IESVS, is indicium ad conſilium publicum deferret. Sed iam confecto curſu in terris vitæ humanæ, ad mortem ſponte ſua IESVS proceſsit, & volens ſcienſque crudeliſs: hoſtibus ſuis ſeſe obtulit ad indigniſs: cruciatus & mortem deteſtabilem per contumeliam & ludibria perferendam, Sed ſibi aditum ad regnum cœleſte & diuinam gloriam aperturam, & iratum DEVM generi humano reconciliaturam,

turam & tenebris mendaciorum diſpulſis Solem veritatis producturam, denique potentiam & Tyrannidem Diaboli funditus euerſuram. Ante ferias igitur Paſchatos die VI. venit Bethaniam in domum Marthæ. Vbi hoſpitio acceptus & pro ſuis in illam familiam eximijs meritis perbenigne habitus fuit, propter ſingularem etiam pietatem illorum & beneuolentiam erga ſe valde eos diligebat. Erant ſorores duæ Martha & Maria, quarum altera hoc agebat atque curabat, CHRISTVS vt bene atque prolixe tractaretur. Altera alijs miniſterijs neglectis, more gentis precioſum vnguentum illi affundere ſolebat & ad pedes ipſius reſidens auſcultare docentem. Difficile eſt pronunciare vtrum hæc illa Maria ſit, an, quemadmodum puto, non ſit, quæ, niſi fallor, Magdalena cognomento, nam & hoc incertum, cum aliquando vixiſſet turpiter, & apud CHRISTVM deploraſſet peccata ſua, tanto flumine lacrimarum profuſo, vt his pedes CHRISTI abluerentur, deterſis ijſdem & vnguendo perfuſis, à CHRISTO remiſsionem peccatorum fuit conſecuta, teſtante: De illa maximi erga CHRISTVM amoris declaratione intelligi poſſe, in ſummis eam malis & grauiſs. peccatis demerſam fuiſſe, quibus liberata non poſſet non arden-

ardentiſs. amore erga liberatorem ſuum affici. Ibi tum igitur hoſpitio acceptus. Cœnauit etiam apud Simonem quendam cui leproſi cognomentum fuit, quod, vt credibile eſt, cum illo morbo laboraret, à CHRISTO ſanatus eſſet. Hunc illum Phariſæum eſſe apud quem Maria defleuit coram CHRISTO ſua peccata, quidam fuere ſuſpicati, & in quibuſdam ſecretioribus ſcriptis, lectum eſſe ſcripſit Nicephorus, hunc Simonem patrem Lazari fuiſſe, vt & Hieroſolymis aut in alia vrbe quapiam domicilium habere potuerit, cum eſſet Bethanienſis. Nam in huius vrbe narratur impudicitia illam infamem fuiſſe fœminam ſupplicem IESV. Veri tamen eſt ſimilius & alium iſtum Simonem, & diuerſam Megdalenam eſſe. Sed hæc curioſe quaſi rimari neceſſe non eſt. Itaq; ne ſeriem quidem dierum perſequendam duximus, vt aliqui fecerunt, ab eo max. tempore quo CHSISTVS ad Iordanem ſeceſsit deuitans inſidias & vim Iudæorum. Hoc conſtat, inde Bethaniam illum veniſſe & Lazarum de ſepulcro reſuſcitauiſſe in vitam. Poſt hoc factum iterum ſeceſsit declinans rabiem Iudaicam, in vrbem Ephraimidem. Et inde ſexto ante Paſchatos feſtum die, reuerſus Bethaniam fuit. Ibi Iſcariota precioſi vn-

guenti profusione iritatus, aduersus Magistrum suum fraudem capitalem concepit. Neque dolorem suum potuit tegere, & alios etiam discipulos ad improbandam rem commouit. Nam detrimentum hoc esse pauperum dictitabat. Sed ipse qui pecuniam communem tractaret, non egentium sed commodi sui respectu tangebatur. Quod suffurari semper aliquid de collata pecunia soleret. Poterat, inquit, istud vnguentum venire nummis mille ducentis. quę summa tota nunc vsibus pauperum detrahitur. Sed CHRISTVS grauiss. tum & veriss. oratione huius iniquitatem & aliorum errorem refutauit. Iscariota tamen lucrum illud cuius spes ipsum fuerat frustrata, sarciendum sibi esse statuit. Execranda igitur prauitate animi & odio scelerato CHRISTI impulsus, venit ad principes populi Iudaici, quærentes illos quidem iamdudum opportunitatem arripiendi atque extinguendi CHRISTI, & de proditione cũ illis paciscitur, cuius fuit merces tum huic constituta XII. M. nummum, summa ad vnguenti precium decupla. Hæc autem tempora ita distingui recte posse videntur, vt ante Azymorum id est Paschatos festum die sabbati CHRISTVS Bethaniam venerit & ibi hospitio Martæ vsus fuerit: Posteroq;

ſteroque die aſino inuectus Hieroſolyma obuiam habuerit turbam cum ramis palmarum & lætis acclamationibus, quando & calamitatem & exitium gentis & vrbis deplorauit. Inde eum rediſſe Bethaniam apparet, vno quidem & altero die iterum ad noctem, cum tempus diurnum docendo populum in templo conſumſiſſet, & acceptum conuiuio Simonis,& ad profuſionem vnguenti iteratam (nam ſæpe hoc officium præſtitiſſe Mariam CHRISTO dubium non eſt) incenſum dolore Iſcariotam,ad pactionem proditionis decurriſſe. Quæ incidet ſecundum hanc diuiſionem, in prox: diem ante Paſcha. Quo loco rurſus & de die ipſo & de anno nonnihil eſt dicendum, hoc fiet breuiter. Nam Epiphanij curioſa exquiſitio nihil habet firmitatis. Qui mortem pertuliſſe ſcribit CHRISTVM anno ætatis ſuæ XXXII. Menſe II. die XIIII. Et nititur demonſtrare Lunam decimamquintam fuiſſe noctu reſurrectionis CHRISTI, & in illam incidiſſe æquinoctium. CHRISTVM autem affixum fuiſſe cruci in ante diem XIII. Cal. April. Luna nocturna decimaquarta Coſs. Vindicio & Caſsio Longino. Hæc ab illo & obſcure & ſubtiliter referuntur, vt ad intelligendum ſingulari ſtudio & ingenio opus eſſe videatur. Idem

ex actis Pilati alios alium diem supplicij obseruasse narrat. Ipse quidem vt diebus XIII. posteriorem natalem CHRISTI quam alij, ita VI. diebus priorem facit mortem. Nam quod ad annos consulares attinet, nihil est ratione illa incertius neq; confusius. Vt mirum non sit alios hoc tempus, de quo loquimur, retulisse in consulatum duum Geminorum, alios in proxime secutum Vinicij & Longini. Non etiam nullos in tertium deinceps Aenobarbi & Scriboniani. Quippe qui annos illos singulos & integros & æquales sumserint. Quod verum non esse cum alia multa arguunt, tum id quod Dion scripsit in Tiberio, verba de Aenobarbo faciens, hoc quodam modo: Domitius sane annuum magistratum confecit, cæteri magistratum gessere Tiberij arbitrio. Qui ita honorem istum mandabat, vt alij longiore, alij breuiore tempore eo perfungerentur. Itaque quibusdam celerius & ante legitimum tempus magistratum ille abrogabat, quibusdam vltra hoc etiam prorogabat. Hactenus Dion. Vnde liquido perspicitur, ea quæ temporibus distinguuntur, annis consularibus diuidi definiriq; non oportere. Hæc igitur relinquamus. Id autem in quo omnes fere consenserunt, & quod cuiq; consideranti

deranti maxime probabile apparet, teneamus: CHRISTVM Iesum triennio post Baptismum docuisse, & doctrinam suam miraculis confirmasse, & pascha celebrasse cum suis IX. Cal. Aprilis vesperi. Et illa nocte proditum captumque & contumelia ac cruciatu multiplice affectum VIII. Cal. supplicium crucis pertulisse, & VI. Cal. ante lucem resurrexisse de sepulcro viuentem. Neque hinc longe illo tempore æquinoctium abfuit, & ratio Lunæ ad Paschatos ferias cum hac dierum serie consentit. Subtilitatam autem per omnium scrupulorum momenta, exquirere velle, curiositatis fuerit, ne quid aliud dicam, superuacaneæ. Annum autem hunc fuisse oportet XVIII. vel vertentem vel confectum (haud enim scio an definiri hoc nequeat) Imperij regij quod Tiberius Romæ gessit post vitricum. Aetatis autem CHRISTI, vt Epiphanius collegit & Euangelicæ narrationes videntur confirmare XXXIII. inchoatum. Nam siue vt Epiphanius tradit, in Nouembri, seu alio tempore Baptismo Ioannis vsus fuit CHRISTVS, erit hic annus ætatis ipsius XXX. Hoc tempus secutis proxime ferijs Paschatos, indignatione ingente commotus ob templi loca sacra actionibus negotijsque profanis violata, & vim manifestam

vſurpauit primum aduerſus impium quæſtum mercatumq; deformem, & illos grauiſs. ſermones de morte & reſurrectione in vitam ſua & ſalutares conciones habuit, quibus multorum animos ad religionem & fidem conuertit. Poſt annui temporis interuallum erit ſecundum Paſcha celebre præſentia & doctrina CHRISTI. Quo appetente panibus multiplicatis illam multitudinem millium V. pauit ad Tiberiada. Et poſtea mirificis illis ſermonibus de neceſſario ad vitam cibo carnis, & potu ſanguinis ſui nonnullos alienauit à ſe. Tertium autem paſcha anno vertente illud quod peragere cum diſcipulis deſiderio maximo deſiderauerat, antecedit mortem & in vitam reſurrectionem ipſius. Hac igitur ratione colliguntur anni XXXII. Menſes III. fuere tamen, qui anno vno longius vitam humanam in terris CHRISTI producerent & quartum facerent Paſcha; id quod nos tertio loco retulimus, qui & ipſi vt certis rationibus ducuntur, ita nobis videtur cruciatus, mortem, & in vitam reſuſcitationem CHRISTI in tempus à nobis indicatum incidere. Hactenus igitur hæc ſcrutatos nos eſſe ſatis ſit. Cum quidem non ignorem verboſas diſputationes & ſubtiles atq; varias exquiſitiones aliorum. Inter quos

Paulus

Paulus quidam Batauus fori Sempronij episcopus, & retro annos Chronicorum abducit, duos adijciendo, & docere vult III. Cal. April. CHRISTVM in cruce esse mortuum, vt Cal. resurrexisse oporteat. Quæ autem perhibentur referri ab Irenæo, quasi tradita à Ioanne apostolo, de ætate Christi senili, & maiore annis XL. qualia sint nequeo decernere. Nam Irenæi scripta nobis legere non contigit, conuersis autem operis istis quantum fidei habendum sit, docent eæ, quas cum ijs vnde tralatæ fuerunt, conferre conceditur. Sed de his hactenus. Nunc historiam prosequamur. Illis sex diebus qui antecesserunt hoc Pascha verum & æterno DEI consilio ad liberationem humani generis destinatum, cuiusque caussa tales ritus & cæremonias Moses diuinitus facere iussus instituerat, CHRISTVS Hierosolyma venire non omittebat ad publicam doctrinam exercendam. Sub vesperam autem Bethaniam, quæ ad mortem olíueti sita duobus M. Pass. Hierosolymis distabat, reuertebatur, vbi pernoctare solebat. Nunc peruenit narratio ad vltimam cœnam Christi in terris, illam in qua nouum & æternum pactum salutis humanæ confirmatum fuit. De qua & ipsa quæri solet: Vtrum ritus præscriptus à Mose in comedendo agno

tum obſeruatus & peractus fuerit, cum cœnæ tantum & diſcubitus mentio in Euangelicis hiſtorijs fieri videatur: Ab Euangeliſta Joanne autem plane dicatur, Iudæos noluiſſe introire in prætorium ne contagione pollucrentur, cum manducaturi eſſent agnum Paſchalem, id autem factum fuit poſtridie. Ac Epiphanius rem, vt dixi, nequaquam explicat. Quidam autem docuere illis temporibus ferias ſolennes cum Sabatinis Iudæos non continuare ſolitos, itaque hoc feſtum, quod tum in diem proximum ante ſabatum incideret, quem CHRISTVM ſeruaſſe volunt, contuliſſe in ſabatum, cuius initium ea veſpera fuit ſub quam CHRISTVM refixum de cruce ſepelierunt. Quod autem Ceremonias etiam inter cœnandum in agno comedendo diuinitus præceptas nequaquam neglexerint, de ijs verbis planum fieri putant, quibus narratur à Luca teſtatum fuiſſe Chriſtum deſiderium ſuum illius temporis celebrandi cum diſcipulis ante mortem ſuam. Sed cum Ioannes dicat ſuſpicatos fuiſſe diſcipulos dimitti Iudam ad coëmenda ea, quibus ad feſtum diem celebrandum opus eſſet, hanc cœnam pridianam fuiſſe ante paſcha opinari aliquis poſſe videatur. Explicat tamen rem id quod à Matthæo dicitur. Diſcipulos

primo

primo die Azymorum accessisse ad CHRISTVM & percontatos esse: vbi vellet instrui cœnam Paschalem. Hæc autem fuit tertia ante sabatum, & consentit numerus dierum expositus à Ioanne. Inter cœnam etiam pedes discipulorum lauit. Et digresso Iuda, ibidem, & abiens ad preces trans torrentem Cedrona, multa locutus cum discipulis, tandem profunda nocte proditus & captus fuit. Adductusq; primum ad Ananum, qui est Annas, socerum Cayphæ, cuius erat functio anni illius, & inde coram Caypha in eum acerbissime inquisitum. Tum & noctis reliquum tempus contumelijs & iniurijs consumtum, & vt prædixerat CHRISTVS, ter negauit Petrus quod eum nosset. Neq; obstat quod in Ioannis narratiane legitur, primum ad Ananum adductum CHRISTVM, & ab hoc vinctum ad generum missum fuisse. Nam & ministros sceleris cupide læticiam euentus huius Anano obtulisse, & in captum ab eo, qui tum honorem Pontificatus gereret, inquiri oportuisse facile intelligi potest. Etsi in ipsius etiam Anani ædibus rabiem Iudaicam intulisse se in CHRISTVM non abhorret à vero. Et penes hos duos tum principatus ille erat quæsitus & partus à Romanis Magistratibus pecunia, vt diximus. Ita

igitur explicari res, facile, vt opinor, poterit. Sed à Cayphà de sententia omnium, id est consilij illius solennis, deductus ad Pilatum prætorem Romanum & atrociss. accusatus fuit CHRISTVS. Neq; prius destiterunt principes populi Iudaici, & falsis criminibus onerare CHRISTVM, & instigare ab huius condemnatione abhorrentem Pilatum, petendo & minando & omnis generis turbas in multitudine concitando, quam ad sententiam in caput innocentissimi, confessione iudicis quoque, hominis ferendam hunc perpellerent. Etiam Iudas proditor mutato animo cum pœniteret iam facinoris, pecuniam retulerat, confessus, se nefarium scelus proditionis perpetrasse, qui derisus se suspendit. Cum CHRISTO duo sicarij ad supplicium ducti & affixi crucibus fuerunt, ita positis vt medius esset CHRISTVS. Supplicij huius memoriæ consecratus dies est VIII. Cal. Apr. quo mortuum in cruce CHRISTVM certum esse existimatur. De altero ex sicarijs qui obiurgauerit socium maledicentem CHRISTO, & cui tum beata vita promissa fuerit, mentio extat Lucæ, qua explicatur id quod alij mentione indistincta sicariorum retulerunt. Circiter diei horam tertiam CHRISTVS damnatus capitis, ad supplicium

plicium ductus & cruci affixus fuit, is est meridies. In cruce vixit horis circiter tribus. Neque obstat quod Marcus, vbi ad supplicium ductum fuisse scribit, horæ tertiæ mentionem facit. Cum ab exordio accusationis & rei coram Pilato actæ tantum tẽporis tum abijsse, aut notam ternarij numeri, pro ea quæ senariũ indicat, inter quas magnam esse similitudinem scimus, à librario positam esse, suspicari liceat. Post horam sextam & terra moueri & Sol obscurari & illa accidere, quæ in historia Euangelica memorantur. De defectu Solis admirabili plenæ Lunæ tempore, extant quædam in Epistola præferente Dionysij Areopagitæ nomen, scriptæ ad Polycarpum, vbi & accessionis Lunæ ad Solem & ab hoc recessionis, in Aegypto quoque notatæ, mentio fit. Addiderunt alij de terræ motu hoc in græcorum libris aliquid legi. Sed nobis Euangelica historia vna fidei satis facit. Hora nona mortuo in cruce CHRISTO mansit inuiolatum corpus ipsius, nisi quod latus à quodam milite percussum lancea fuit. Inde illud refixum sepulturæ mandatur, instante iam Sabbato, exordia enim dierum præcedentes noctes Iudæi faciebant, vt dies integer esset à vespera ad vesperam. Ita manifestum fit sepultum ad eius diei-

vesperam CHRISTVM, quo in cruce esset mortuus, in sepulcro particulam illius reliquam, & sabati diem totam, & sequentis etiam diei partem quandam confecisse, vt simpliciter verum sit tertia post mortem die eum in vitam resurrexisse. Et in communi sermone etiam vsitata figura recte dicatur, triduo iacuisse in sepulcro. Sequitur expositio resuscitati in vitam Christi, qui mortuus & sepultus cum descendisset ad inferos, resurrexit viuus de monumento, die tertia, secundum vaticinationes antiquas. Hæc res & omnem cogitationem sapientiæ superat, & sola eos qui assentiuntur religiose doctrinæ cœlesti ab alijs separat & facit peculiarem cœtum DEI: confitentes CHRISTVM Iesum mortem pertulisse pro abolendis peccatis hominum, & resurrexisse in vitam vt beneficium iusticiæ præstaret perpetuum, in omnipotentia diuina. In qua persuasione & spe Christiani & degunt hanc vitam quisque suo loco, tanquam hospites & peregrini in terris, & eandem fortunasque & quicquid carum esse hominibus solet, non verentur relinquere, potius quam fallere fidem assensionis & hanc spem frustrari dubitatione sua, præsertim cum certum eis & fixum sit, hunc solum esse cultum qui DEO placeat, vt Christi doctri-

doctrinæ auditores & executores homines eſſe ſtudeant. Hæc eſt igitur ingens humilitas cœtus Chriſtiani. Non modo premi à potentia huius mundi, & eſſe ſine re, dignitate, honoribus, ſed id etiam quo humana omnis excellentia continetur, labefieri atq; conuelli, mentis inquam & rationis & intelligentiæ diuinum bonum. Non eſt difficile ſi deliberatum & animo conſtitutum ſit & fieri debere videatur, contemnere opes, regna, honores, diuitias, ſplendorem & dignitatem vitæ, ipſam etiam mortem oppetere: dum ratio vincat, nobis ſapientiæ & virtutis laudem conciliari. Potuere hoc multi facile perficere, inter quos eximij, Crates, Diogenes, Socrates, & Romanorum Curij, Fabricij, Decij, Reguli. At ea quæ omnem intelligentiam euertunt & conturbant, amplecti, & ad propriam in terris abiectionem & miſeriam, vt alij omnes ſentiunt, aſſumere, & contra mentis humanæ iudicium niti, & fidem habere, ac ſpe inhærere, & fretum eſſe ijs, quæ à rationis noſtræ captu vehementius reſiliunt quam ferreus malleus impactus incudi, id profecto & mirabile eſt & maius conſilium quam humanum. Quapropter tota religionis noſtræ veritas longiſs: non ſolum à falſitate aliarum, ſed ſtu-

dio & induſtria ſapientiæ humanæ ſeparanda eſt. CHRISTVM igitur reſurrexiſſe de ſepulcro viuum, quem mortuum depoſitum in illo fuiſſe conſtaret, & prædictiones priſcæ interpretum SANCTI ſpiritus, & illuſtria teſtimonia eorum quibus compertum fuit, probant & nos credimus. De quo copioſæ ſunt expoſitiones Euangelicæ, ſed diuerſorum diuerſæ. Quoniam autem eius rei fama, & conſideratio, animos eorum, qui CHRISTVM ſectati fuerant, euentuq; mortis ipſius ingentem dolorem cœperant, mirabiliter affecit, & tum neceſſe eſt omnia trepide, feſtinanter, confuſe geſta fuiſſe, ideo factum fuit, vt expoſitiones etiam,præſertim inelaboratæ & ex tempore confectæ, illorum, non quidem contrariæ, ita enim vna alteram euerteret, ſed in mentione varia non eædem eſſent. Diſtinctæ autem perſonis & diuiſæ temporibus res illæ facile poterunt cogitatione piorum explicari atq; componi. Ac primum dubium nullum eſt de tertio die, quo rediijt in vitam CHRISTVS mortuus & ſepultus. Is erit poſt Iudaicum ſabatum proximus. Tempus autem certe incidet in noctem iam decedentem. Neq; intelligendum mulieres quarum mentio fit in hiſtorijs Euangelicis ſimul accurriſſe ad monumentum vniuerſas,

uerſas, neque vno quaſi momento temporis ea accidiſſe quæ Euangelicæ expoſitiones congerunt. Sed aliquas ante diem & per noctem, aliquas cum iàm luceſceret, atque adeo ſol conſpiceretur, quo certius omnia cognoſcerentur, illuc aduenisſe, & cætera inter ſpem & metum fluctuante fide, multifariam acta eſſe. Surrexit igitur Chriſtus die tertio de ſepulcro, & obtulit ſe viuum conſpectui mulierum, itemq; Petri, & aliorum tam de duodecim illis quam diſcipulis cæteris, à quibus ſimul quingentis & pluribus, & rurſum à Iacobo & Apoſtolis viſus. Cumq; ſuis in terra poſt id tempus, quo reſurrexerat de ſepulcro in vitam, verſatus diebus XL. deq; regno DEI collocutus, & fide facta quod reuixiſſet, ita tandem illis aſpicientibus in cœlum receptus fuit, ſubeunte nube, qua ex oculis omnium auferretur. Huius in cœlum diſceſsionis diem, quam ἀναλήψιμον Græci nominant, facit Epiphanius diem illuceſcentem quartam, id eſt, τὴν τετράδα. Et ideo ieiunium putat hoc die ab Apoſtolis inſtitutum, ſecundum id quod CHRISTVS dixiſſet, eos ieiunaturos amiſſo ſe. Quod ſane dictum quam apte ad hanc rem accommodatum ſit, alijs relinquo expendendum. Poſt hæc cum fama de IESV Chriſto indies magis ac magis increbreſceret,

ret, cumq; & refurrectio de morte diuinitatem illius confirmaret, & facinus patratum Iudæis vbique terrarum maius odium maioremq; infamiam pareret, tum illi gemina audacia impietatis, quemadmodum ante pecunia corruperant custodes sepulcri & per hos dissiparant rumores de corpore IESV furtim à discipulis ablato (qui tamen fidem non inuenerunt, cum id quod omnes intelligerent fieri nullo modo potuisse, falso factum esse narraretur) Ita postea subornarunt quosdam peregrinatores, qui omnibus in locis reclamarent doctrinæ veritatis & præconio Euangelij resisterent, Et cum suos populares tum alias gentes commouerent, vt Apostolis & horum discipulis tanquam seditiosis & autoribus nouitatis perniciosæ, sese opponerent. Ex quo maxime primum ab ipsis Iudæis, qui tum aliquid adhuc possent, ortæ fuerunt aduersando contentiones vehementes, & animaduersiones susceptæ, & quæstiones habitæ de doctoribus Euangelij, quæ ab alijs deinde gentibus potentioribus doctrinæ exagitatio, & huius autorum insectatio, ad summam sæuitiam & crudelitatem adducta est, & testes resurrectionis CHRISTI, ac præcones gratuitæ peccatorum propter illum remissionis, exilio, cæde, sup-

ſupplicijs, vexati atque afflicti, reddiderunt ea quæ oppreſſa alij cuperent, illuſtriora & magis celebria. Interea quadraginta ferme annis poſt IESV Chriſti peractum in terris curſum, Iudæorum reliqua qualiſcunque gens penitus diſsipata, captis Hieroſolymis à Tito Veſpaſiani F. & poſt annos rurſum amplius XL. auſa denuo concurrere & arma capere, ita conciſa & ſic deleta fuit, vt poſt illud tempus nullam vſpiam in orbe terrarum certam ſedem, nullum proprium domicilium, non libertatis aut iuris ſpeciem habuerit, & nunc quoque exul & ſeruilis natio neque DEI religionem tueatur, & in omnium pene mortalium odium, qui eos abhorrentes fugiunt, incurrerint. Nunc hoc reliquum eſt, vt quemadmodum IESVM Chriſtum de morte reſurrexiſſe in vitam & receptum eſſe in cœlum conſtat, Ita expectemus reditum ipſius ad iudicium; quod fiat de toto genere humano, ipſo præſidente & ſententiam ferente, de ſuis & de alienis. Quo die vt appareamus coram illo digni, quibus decernatur æterna poſſeſsio regni cœleſtis, in ſancta & firma fide, votorum pietatis opus eſt. Quidam in facie & ſtatura IESV Chriſti deſcribenda diligentem operam poſuerunt. Et feruntur neſcio quæ ſcripta Lentuli & ipſius Pilati titulo,

ficta,

ficta, vt facile considerantibus apparet. Nicephorus tamen qui antecedit ætatem nostram annis circiter DCL. retulit ea quæ de illius historiæ libro primo sumus interpretati. Ea sunt quæ sequuntur. Facies & figura DOMINI nostri IESV Christi, secundum veterum demonstrationem, talis fuit, vt breuiter indicemus. Ore valde fuit pulcro. Statura seu altitudo corporis septem dodrantum integrorum. Capillum habuit flauescentem, non admodum copiosum, honestum illum quidem, & quasi in cirros desinentem, vt aliquantulum crispus videretur, supercilia nigra admodum inflexa. Oculos nitidos & paululum flauescentes. elegantes illi erant, & nasus rectus. Pilos autem barbæ non valde profundæ flauos quodammodo: Sed prolixiorem capitis gestabat capillum. Nunquam enim attigit caput ipsius nouacula, ne hominis quidem manus omnino, præterquam matris nutricis paruuli. Ceruix nonnihil reflectebatur, vt statura corporis erecta & intenta non esset. Color fuluus qualis frugum est, facies oris non rotunda, sed maternæ similis parum deorsum vergens, & modico rubore conspicua, vt appareret in vultu grauitas & sagacitas ingenij, itemq; mansuetudo & animus iracundiæ expers, per omnia autem refere-

referebat diuam & omni labe carentem matrem ſuam. Hæc Nicephorus. Quæ tradita ſunt de ſignificatione Pilati, & Tiberij Cæſaris voluntate in referendo CHRISTO inter DEOS, & recuſatione ſenatus, habent illa quidem autorem Tertullianum, ſed nos in medio relinquenda, neq; noſtræ narrationi intexenda putauimus. Quod ſi ita res geſta eſt, exiſtimare licet, diuino conſilio factum fuiſſe, ne verus & æternus DEVS humana ſuperſtitione inter falſos DEOS conſecraretur. Cuius nomen omnem impium cultum oppreſſurum eſſet. Ne illa quidem addenda duxi, quæ de Abgari Edeſſeni apiſtola & ſtatua IESV & abiectæ ad pedes ipſius ſanatæ mulieris laborantis fluxione ſanguinis, Euſebius expoſuit, quæque neſcio quo autore feruntur, de matris ipſius explorata virginitate, & de dignitate CHRISTI ſacerdotali: Similiter & quæ de imagine linteo expreſſa, & ad Abgarum miſſa à IESV, quam alij neſcio in cuius Beronices velum impreſſam fuiſſe fabulantur, ſcripta reliquit Nicephorus. Sunt enim eiuſmodi vt ad neceſſariam cognitionem nihil afferant momenti, & calumniandi etiam cætera occaſionem præbere poſsint. De matre quidem IESV virgine Maria, credamus ſane id quod & Nicephorus tra-

 dit,

dit, habuiſſe illam perentes Ioachimum & Annam. Et, ſi videtur, id quoq; quod ſimiliter hæc vt Helcanæ vxor ſterilis impetrauerit precibus ſuis à DEO ſobolem, & hanc illi conſecrauerit. Itaq; in templo Mariam educatam, & ita tandem virginitatem ipſius vt dicatam DEO, cuſtodiæ Ioſephi ſenis optimi & ſanctiſsimi commiſſam fuiſſe. Adiungantur ſane & hæc: Perueniſſe virginem matrem IESV, ad annum ætatis LIX. Quod nata annos tres in templum delata, & ibi XI. annis educta, & mox, vt diximus, Ioſephi fidei à Sacerdotibus deſponſata, annos XV. nata pepererit ſaluatorem humani generis. Accedant anni XXXIII. quibus filius IESVS confecit curſum in terris ſuum, poſt cuius mortem ſuperuixerit annis XI. accepta in ædes Ioannis Zebedæi F. ita enim cōſumnantur expoſiti anni LIX. De morte ipſius Epiphanius duas opiniones diuerſas indicat. Vnam quorundam arbitrantium hanc ferro necatam fuiſſe, vt ſupra oſtendimus, odio nimirum Iudæorum in filium. Alteram eorum qui & mortuam & ſupultam eſſe perhibeant. Sed cum illa decedente forte Thomas abſuiſſet, ac reuerſus dolore incredibili afficeretur, quod non vidiſſet morientem, ſtatuiſſe cæteros monumentum aperire & exhibere aſpiciendum corpus

corpus virginis Thomæ, tum vero inane illud inuentum esse. De quibus disputatione longiore nihil est opus. Concludam igitur hanc historiam descriptione formæ & staturæ virginis, quam Nicephorus ad Epiphanium autorem retulit. Honesta omnia erant in hac virgine, quæ pauca & non nisi necessaria loquebatur. Morigera eadem erat & affabilis. Vniuersos afficiebat honore & comiter se gerebat erga quosuis, statura mediocri. Sunt tamen qui tradant mediocritatem hanc excessisse. Libertate decente orationis apud omnes vtebatur. Non risui indulgebat, non perturbabatur, ac irascebatur minime Colore erat frugum simili & capillo flauo, oculis honestis, pupillas flauescente & veluti oleagino orbe ambiente, & prorsus nigris obducentibus superciliis. Naso recto, labris tinctis florido colore, & refertis suauitate orationis. Oris faciem non habebat rotundam sed quasi oblongam, Digitos & manus longiusculas, nihil in illa fastus, nihil alienæ figuræ, mansuetudo immensa. Vestes gestabat natiui coloris, iisque contenta erat. De Iosepho Epiphanius tradidit, annum hunc octogesimum natum, sanctam virginem domum suam deduxisse, & post annum XII. CHRISTI obiisse diem suum. Quæ si vera

ſunt, exceſsit Ioſephus viuendo annum nonageſimum, & pluribus annis quam viginti, poſt huius obitum viua in terris permanſit Maria virgo. Quæ tamen omnia in medio relinquo, vt ea, quibus neq; neceſſaria aſſenſio debeatur, neq; ſi quis fidem habere velit, is reprehendendus eſſe videatur. Narrationes autem tam veteres quam recentes de pueritia atq; adeo infantia IESV, itemque de beatiſs. & ſanctiſs. virginis Mariæ partu & quæ alia ſuperſtitioſo & inerudito ſtudio prodita ſunt, plane repudiemus, quæ ſeuera Eccleſiæ Chriſtianæ conſideratio nunquam admiſit, & Romanæ quoq; Eccleſiæ diligentia & attentio animaduertit nugatoria eſſe, & vna cum ſimilibus alijs quibuſdam ſcriptis damnauit legiq; vetuit. Deprehenſum quoq; eſt, illis hæreticorum protentoſa commenta fuiſſe prolata. Vt, quæ ab Epiphanio memorantur, interrogationes maiores & minores Mariæ. Itemque Mariæ γέννα, Neſcio partus ne an genus, Et neſcire volo, cum cognitio nocere poſſet, vtilitatis illa quidem penitus expers. Quæ autem ſuperioribus proximis ætatibus in hoc genere expoſitæ narrationes fuere nouæ, de ijs vere dici poteſt: Multo eſſe nequiores has quam nummos nouos. Nam pudendis fabulis ſuperſtitiones fœdas vel conſti-

conſtituerunt vel cumularunt. Vnde facetis ridiculorum occaſione data, ita exiſtimatio dignitaſq; ſanctæ Religionis labefactata fuit. Non tamen fabulis atq; nugis referta abijciendo, veritatis etiam veſtigationem intermitti par fuerit. Ac multo quoq; minus negligi debeat eorum, quæ autoritatem non dubiam habent, pia religioſaq; meditatio. In quibus principem locum tenent hiſtoriæ & expoſitiones ſacrarum literarum abducentes cogitationem animi à præſentibus & terrenis ad futura atque cœleſtia, & non implicantes diuina commentationibus humanis, ſed illa ex his potius euoluentes. Et adiunguntur fructuoſe enarrationes attentæ religioſi ſtudij, cuiuſmodi piæ & vtiles quorundam lucubrationes extant. De quo modo plura dicenda non putauimus. Quia autem imaginum mentionem feci, non putaui reticendum, has in Eccleſiaſticis congregationibus paſsim & inconſiderate vel temere etiam proponi, periculo neutiquam carere. Etſi enim dum pura ſinceraq; doctrina permanet non ſolent nocere, vel imaginum ornamenta, vel aliæ quoque ſuperuacaneæ ceremoniæ, optimum tamen erat, ad primam integritatem quam proxime ſtatum Eccleſiaſticum reuocare. Et mirifica eſt vulgi

ad errores procliuitas, & insidiosæ atque fraudulentæ sunt Diaboli impulsiones. Vt in hac quoque parte pietatis religiosæ circumspectio & cautio necessaria sit. Quemadmodum enim, secundum prouerbium, Cæcias ad se nubes trahit, cum sit ventus serenans, sic speciosæ nonnunquam actiones errorum caliginem alliciunt. Scripsit Eusebius de imaginibus quædam. Cumque studium illud non vellet repræhendere, non tamen probare potuit: itaque excusare est conatus. Scripsit Epiphanius Carpocrasios hæreticos occulte venerari cum aliorum imagines, tum CHRISTI, quas fabularentur expressas esse à Pilato. Etiam ex Cæsaribus quendam antiquis, in larario suo habuisse consecratam imaginem CHRISTI, traditur. Pingantur sane hæc ingeniosorum venustis coloribus, & commode interpretando perficiat aliquis, vt in meliorem partem accipiantur, quo tamen res euaserit patet, neque manifestæ impietatis nefaria scelera occultari amplius possunt. Vt enim alia non attingantur, quid de autore salutis nostræ DOMINO Iesu Christo, & huius sanctissima semper virgine matre acciderit, contemplemur. Repræsentatum persuasione exitiosa venerandum corpus illius est, extra vsum ab ipso institutæ communio-

munionis & communicationis in Ecclesiasticis congregationibus. Et idem in sacrificia implicatum mercenaria, ritu ab ordinatione IESV Christi & apostolica obseruatione abhorrente, mutilata ad vulgus sacratissimæ actionis integritate. Proposita non ad custodiam & honorifice memoriæ reuerentiam, sed & ad adorandum & venerandum cultu numinis diuini fragmenta fuere passim Crucis, in qua pependisse persuaderetur vulgo filium Dei Dominum nostrum IESVM Christum consummãtem opus redemtionis generis humani, & præbentem se mactandam victimam pro peccatis illius propositæ simili superstitione sunt & clauorum alicubi effigies, quibus sanctissimum & innocentissimum corpus CHRISTI affixum cruci fuisset. Ac est locuta antiquitas etiam, recentior illa quidem, de inuenta cruce & agnita, deq; clauis adeo istis quædam narrauit minus circumspecte, nimisq; credulam sese præbuit superstitiosis rumusculis temere assentiendo, neque vera à falsis, neque vana à fictis, neque sincera à fucatis recta incisione separando. De quo plus verborum fieri hoc loco oportere non putauimus. Sunt autem hæc omnia & his similibus alia disputationibus callidis ita concinnata, vt plæ-

risq; facile probarentur, vtq; adeo docti non auderent refragari, accedente præsertim & confirmante ea autoritate & potestate summa Ecclesiasticæ dignitatis. Atq; est credibile commentis istis religiosum cultum & venerationem CHRISTI Iesu, aliquos augere voluisse. Sed siue scientes falsa esse illa asseruerunt, magnopere vt contaminatores puræ doctrinæ sunt vituperandi. Seu in ignorantia tantarum rerum inconsulto huc prolapsi fuere, valde deploranda est stolida vel dementia vel audacia. Iam sanctißimæ & honorifica inprimis memoria colendæ celebrandæq; semperuirginis matris IESV Mariæ peruersa veneratio tabulis figendis & statuendis simulacris, & offerendis, dedicandis, consecrandis his aut illis, votorumq; etiam obligatione, ad quas superstitiones euaserit, nemini iam est ignotum omnium, nisi qui puerili pertinacia demonstrata & ante oculos posita cognoscere nolunt. Et sunt hæc mala à superstitione mulierum (quemadmodum indicabimus narrasse Epiphanium) nata, cui qui assentarentur, & eam corroborarent aliqui viri futiles atq; improbi fuere inuenti. Neque est recens pestis istius contagio, sed inuasit ea sanam doctrinam ante multa sæcula, & medicina aduersus illam

illam salutari piorum doctrina iam pridem ostensa est. Qualis & Epiphanij extat refutantis Collyridianos, vt mirandum sit tam absurdas opiniones postea existere potuisse, & susceptas esse tam atroces capitalium odiorum contentiones, de vsu cultuque imaginum, & opis auxilijque sanctorum hominum morte iam obita imploratione. Atque haud scio an de toto hoc genere praeclarisime ille autor haec scripserit, in disputatione contra eos, quos Antidicomaritas appellat, quasi disceptatores de sanctitate virginis Mariae. Quae duxi me in Latinum sermonem conuersa hoc loco vtiliter subiecturum esse. Neque ego tamen vel minus clementer de sanctis hominibus mortuis, quos μακαρίτας Graeci egregio nomine appellarunt, vel etiam male loquentium, vel quasi bellum gerentium aduersus omnia imaginum monumenta, & seruitute quadam opprimentium libertatem Christianam exterminatione illarum: Horum, inquam, turbulentae audaciae non patrocinor, sed notatur á me leuitas imprudentiaque simplicitatis hac in parte, cui sese malitiae fraudes implicantes perniciosas superstitiones introduxerunt. De quibus qui volet, aliorum scripta, sunt enim in medio, legere poterit. Nos vero Epiphanium nunc

audiamus. Sic igitur ille, eo quem demonſtrauimus, loco: Quoniam facile & in procliui eſt conuertere animum ad futilia potius, quam neceſſaria, quod lubrica ſit humana noſtra cogitatio, quæ non ſtatim dirigat incitationem ſuam ad directum iter DOMINI noſtri, ſed declinet modo ad dextram modo ad læuam, & difficulter expleat id quod Salomon inquit: Ne declines ad dextram neq; ad ſiniſtram, & quia prauitate in ijſdem cogitationibus circumagimur, & impellitur quod ſanum & ſobrium eſt ad ingrediendas alias vias: Ideo caute incedamus, ne forte nimia laudatio ſanctæ virginis, euadat alicui ad offenſionem inanis ſpeciei. Nam qui in filium DEI blaſphemi ſunt, quemadmodum ſupra à me dictum eſt, ij abalienare naturam huius à patris Deitate cupide ſtuduerunt. Alij autem contra diuerſa ſententia euecti tanquam ad ampliorem cultum, eundem eſſe hunc & patrem dixere. Itemq; eundem filium & SPIRITVM ſanctum. Eſt autem in his ambabus partibus plaga inſanabilis. Pariter de ſancta hac & beata ſemperuirgine, quidam contumelias effundere auſi fuere, quod poſt maximam illam & ſinceram rationem & ordinationem DOMINI noſtri, qui carnem induens aduenerit, carne ipſa

alteri

alteri fuerit coniuncta, id quod impietate omnem prauitatem superat. Verum quemadmodum dicimus audiendo nos cognouisse istam quorundam audaciam in tam facili obsequio peccati, ita alterum contra admirati sumus, cum audiuissemus alios rursum desipere quodam sanctam virginem celebrante argumento, qui pro Dea & studuissent & studerent illam producere, commoti attonita quadam mentis peruersitate. Narratur enim quasdam mulieres ex Thracia illinc in Arabiam hanc inanem vocem detulisse: vt in nomen illius semper virginis placentula quædam offeratur, & conuentus agantur. Hæc Epiphanius. Sane initio istiusmodi pio studio & minime dolose aut malitiose inchoata fuisse, mihi quoque suspicari & credere libet. Et, si error tolerabilis, aut istæ essent ineptiæ quædam ceremoniarum tantum, quamuis ad doctrinam sanam cœlestis & æternæ veritatis nihil alienum absurdúmue aggludinandum sit, dissimulando tamen atque conniuendo aliquousque ferri poterant. Tam euidens autem corruptela & doctrinæ & disciplinæ Christianæ nullo modo ferri potest, neque occultari debet, ab ijs, qui in præstando fidem DEO æterno spem salutis & vitæ perpetuæ retinere cupiunt. Nam aduersus eos,

eos qui religiosam affectionem ad talia afferunt, quid Epiphanius dicat, audiamus. Sic autem ille confutans Collyridianos: An non vero furor iste attonitorum omnibus, quibus intelligentia inest & diuinitus contigit, esse videatur? An non studium istud simulacra constituit, & conatus est Diabolicus? Diabolus enim semper pietatem & iusticiam prætendens, & ita irrepens in animos hominum, & ex natura humana efficiens diuinam, hominibus similia signa ante hominum oculos varietate artificiorum depinxit. Atq; illi qui adorantur, mortui iam sunt. Signa autem ista horum neq; viua neque mortua (quomodo enim mortua sint, quæ vixere nunquam) producunt ad adorandum per adulterio corruptum animum, deserto DEO vno & solo, instar prostibuli scroti, incitati multiplice absurditate concubitus, & quod perfricta fronte abiecit pudorem in legitima vnius mariti consuetudine. Profecto sanctum erat corpus Mariæ, sed non illa Dea, profecto virgo erat virgo illa atque adeo honorata, sed non ad adorationem nobis data, quæ ipsa adorat ex sese carne natum, qui cœlitus ex sinu paterno aduenerat. Istis & alijs his similibus, quæ melioribus temporibus ab hoc autore sunt prolata, si quis offenditur,
cum

cum ipſo expoſtulet. Nunc quidem certe multo iuſtiores & grauiores cauſſæ ſunt has querelas deplorandi, quam fuere anteá vnquam. Nam qui exaggerare cultus diuinos & amplificare laudes ſanctorum hominum præclarum ac fortaſſe vtile ducunt, ijs videndum, ne ad hominum commoda, vt ipſi arbitrantur, reſpicientes DEI æterni maieſtatis rationem minus habuiſſe videantur. Neu ea educendo altius extruant, quæ ſua aliquando mole grauata concidant. Néue veritatis pulcritudinem ac decus contaminent atque polluant aſperſis mendaciorum maculis. Fit autem hoc interdum quadam mirifica ſpecie, qua exitioſus ſæpenumero error obijcitur. Vt cum alienis coloribus & fucis rei natura obfuſcatur, præ quibus id quod eſt amplius non apparet, quemadmodum ſimilitudine oculorum Plato luculenter demonſtrauit. Nam ſi quis ita pingi oculos velit, vt his nitidiſſimi venuſtiſsimiq; colores, verbi cauſſa, purpurei & aurei illinantur, quod niger obſcurior ſit, non ſit ille profecto audiendus, ſed plane refutandus, qui ſic ornari illuſtrariq; oculos poſtulet, vt iam non amplius hi oculi eſſe videantur. Quapropter in omnibus magnarum rerum diſputationibus fugiendæ magnopere ſunt hyperbolæ, id eſt,

id eſt, id quod eſt nimium. Quanquam enim & quæ recedunt à medio, in eo quod parum eſt, cum vitioſa tum detrimenti expertia non ſunt, tamen illud nimium ſemper plus nocet, & multis modis deterius eſt. Hanc mentione eorum quæ hiſtoriæ ſeries complecteretur quaſi prouocatam appendicem, non diſputationis ſed indicij tantum, oro vt legentes forte hæc boni conſulant, & in eam partem quam ſcripta ſunt, accipiant, id eſt, optimam, tanquam profecta ab eo, qui vera conſideratione, miſeriam temporum noſtrorum perpendat, & iudicium ſincerum de præſentibus rebus faciat, & ex animo optet Eccleſiaſticam doctrinam atq; diſciplinam inſtaurari, & vitia corrigi, & emendari prauitatem, ſecundum à filio DEI Domino noſtro Ieſu Chriſto declarata prophetica, & præconij Euangelici apoſtolica ſcripta, in conſenſu perpetuo atq; recto Eccleſiæ ſanctæ IESV Chriſti, cuius viuentis regnantiſq; cum patre æterno filij coæterni, vna cum SPIRITV ſancto, DEI vnius, veri, ſolius, vt eſt, ſic maneat atque vigeat omnis laus, honor, gloria ſæculis infinitis.

EXPO-

EXPOSITIO EORVM, QVAE DE APOSTOLIS IESV CHRISTI SINGILATIM RECTE & VTILITER COMMEMORARI POSSE VISA SUNT.

QVI historias scripsere de veteribus præstantibus viris inprimis sancti- tate & pietate erga DEVM, ita vt ab hoc præ cæteris mortalibus diligerentur, inq; eis efficacitas quædam superans humanam conditionem appareret: illi vel famam sequentes, quæ augere solet audita, vel de industria amplificantes tradita, ad animos legentum religione complendos, & proponenda exempla insigniora, commemorauerunt multa, quæ attente legentes non imperiti rerum neque stolidi, animaduertunt fidem narrationum illo quasi exaggerandi studio non nusquam deminui, & expositionem sæpe esse audacem nec non dissentientem. Etsi autem de priscis hominibus & rebus omnium esse præclaram existimationem, neque superantia præsentium naturam statim ficta arbitrari conuenit; Non tamen etiam reprehendendam esse existimo circumspectionem diligentiæ in considerandis & perpendendis talibus scriptis, quæ passim edita sunt & eduntur, & tanquam

quam per manus accepta de aliorum vel libris, vel sermonum serie (quæ sunt Græcis παράδοσεις) pertexuntur. Atq; constat semper vel facilitate vel etiam curiositaté hominum accidisse, vt credulitate errores cumularentur, & de ijs, quibus temere aliqui fuissent assensi, cum opinionum sententiarumq; mirabiles quasi fœtus conciperentur, tum nascerentur dissidiorum atq; sectarum perniciosa mala. Quapropter antiquitas quidem venerabilis esse debet vniuersis, sed ea sancta, incorrupta, sincera. De qua si quando in religiosæ pietatis trãctatibus quærere rectum fuit, his maxime temporibus esse, vel ipsa potius, vt quæratur, necessitas imponi videtur, nisi confundi superstitione, aut profana licentia euerti omnia videre & pati velimus. Hæc mihi in mentem venere, & quasi præfari visum est, cum instituissem post veteres recentesq; operas diuersorum, ipse quoque de apostolis DOMINI nostri IESV Christi aliquid scribere. Ne quis suspicaretur omnia priora à me improbari aut etiam damnari. Vt cum iudicio tamen ea legantur neque omnia æque tanquam certa ac vera admittantur, non fuerit inutilis neque superuacanea admonitio. Constat autem iam statim apostolorum ætate, & sermonibus diuersas

versas variasque res tradi, & libros à compluribus scribi cœpisse, & sequentibus temporibus vtrumque factum esse liberius, donec copia ad extremam veritatis perniciem euaserit. Itaque hanc retinere cupientes, quæ est congregatio Ecclesiæ IESV Christi, coacti fuerunt veluti censendo, vera approbare & retinere, falsa repudiare & auersari. In quo adeo cauti fuisse reperiuntur, vt quæ falsitatis nomine reijci non deberent, ea, quod vulgo sine periculo non putarentur lectum iri, nequaquam edi oportere, & edita nullius autoritatis esse statuerent. Hæc Græcum nomen habent ἀπόκρυφα. Sed præter nominatim indicata huius generis, alia innumera circumuolitarunt partim mendacijs, vt ita dicam, consutis effecta, partim speciem quandam honestam præ se ferentia, sed nihilo tamen minus commentitia & fabulis referta. Diuus Hieronymus Leuconem quendam Manichæum falsam historiam apostolorum edidisse scribit. Apocrypha autem notantur cum alia, tum peregrinationes Petri, peregrinatio Iohannis, peregrinatio Thomæ, Clementis asseclæ Petri itinera. Res gestæ Andreæ, Iohannis, Thomæ. Itemque Petri ac Pauli, & eorundem ἀποκαλύψεις, quæ sunt rerum occultarum indicia seu patefa-

H ctiones,

ctionis, prætereа liber continens doctrinas Apostolorum. Quis autem certo polliceri audeat, eorum, quæ vulgata circumferuntur, nihil esse ex his & istiusmodi alijs reiectaneis libris excerptum & in hæc inculcatum? Iam de propagatis sermone, quæ παραδόσεις vocantur, quam sit dubia, ambigua, fallax atque adeo insidiosa res, quis non videt? Vt enim quo maior esset scriptorum autoritas, atque haberent plus ponderis tradita, non dubitarunt in superiora & omnino antiqua tempora expositionem conferre nonnulli suarum excogitationum, sic credibile est illis sermonibus multa tradita esse tanquam accepta, quæ vnusquisq; ipse protulisset. Non fiunt autem talia semper fraudulente, sed plerunque & abest dolus, & res sæpe vtilitatem habet cum commendacione ingenij atque doctrinæ. Vt, verbi gratia, septem sapientum conuiuium Plutarchi, complectens sermones collatos in personas eorum, qui illa ætate multis sæculis priore vixissent & celebres fuissent. Neque ignorant eruditi istius προσωποποιΐας figuram atq; rationem. Non loquor autem nunc de doctrina tradita absque scriptura, de qua & ipsa tamen idem plane dici potest. Cum præsertim huius, aliam fecerint non proferendam verbis & arcanam, aliam apertam

pertam

pertam & notam. Itemque aliam ſignorum & initiorum (ipſi συμβολικὴν καὶ τελεστικὴν appellarunt) aliam philoſophicam & argumentationum. Quæ excurrunt in latiſsimum campum vanitatis & leuitatis, ne quid grauius dicam, cum præſertim ab antiquiſſimo quoq; tam ſcriptorum quam παραδόσεων αἱρετικῶν, mentio fiat. Sed de hiſtoricis traditis nunc diſputamus. Quibus priſcis Papiæ ſcripſit Euſebius nonnulla fabulis plene, id eſt, μυθικώτερα, expoſita eſſe. Atque putat ſimplice ingenio & minime ſolertem illum, in ijs quæ audijſſet, recte intelligendis & enarrandis fuiſſe allucinatum. Quod ſi iſti hoc accidit, quid putandum vſu veniſſe longo interuallo eum ſecutis, & doctrina iam corrupta & ſuperſtitione regnante in Eccleſia. Quamobrem de talibus quæ propagata ſermonibus, & per manus, vt aiunt, accepta perhibentur, vt modeſte ſic caute etiam ſentiendum loquendumque, neque omnia illa contumaciter repudianda, neq; cunctis inconſiderate aſſentiendum eſt. Sed hoc videndum nequid omnino admittatur certæ & perſcriptæ doctrinæ Eccleſiaſticæ & catholicæ atq; orthodoxo conſenſui contrarium. De quo nunc diſſerendum non eſt. Quod igitur ad aliorum narrationes attinet, legant eas, qui volent, ſunt enim

in medio. Nos quæ & à bonis autoribus referri & cum doctrina veritatis cœlesti congruere sciuimus, de ijs latina oratione quædam recensenda esse duximus. Eusebius quidem vir perquam eruditus historiam Martyrum se scripsisse testatur. Quæ si extaret (priorum enim tradita diligenter eum persecutum esse existimo) & nostro & aliorum labore poterat hac in parte supersederi. Carentes vero hoc & huic similibus libris facere scilicet oportet, vt quimus, quando non licet vt volumus. Atque confido inter aliorum operas meam etiam hanc qualemcunque reperturam locum, & religiosæ pietatis bonarumq; artium studiosis non esse futuram ingratam. Cui euentui nihil, vt Poëtæ lyrici verbo vtar, allaborans, hæc pauca præfatus ita institutas narrationes sum deinceps, adiuuante CHRISTO, explicaturus.

SIMON PETRVS.

PETRVS apostolus nomen habuit Simonis, in historia apostolica Lucæ Symeonis legitur, (quod interpretantur aliqui auscultantis & obtemperantis, cum quidem scriptura Hebraica certa non proponatur) natus patre Iona seu Ioanne, patriam Gali-

lææ oppidum Bethſaida. Quod nomen & ipſum cum in Hebraicis ijs libris non extet, qui ſacræ ſcripturæ appellatione celebrantur, alij aliter ſunt interpretati, ſed ſignificationem indicare domum, id eſt, copiam frugum credibile eſt, factam de ſoli illis in locis fertilitate. Frater huius fuit Andreas. De hoc nos, quæ memorantur in libris ſacræ ſcripturæ, eorum capita recenſebimus, vbi lecta certius cognoſcantur ſingula. Andreas eum frater adduxit ad IESVM; cui tum nomen hic impoſuit Cephæ, quod Syriacum perhibetur, & habere ſignificationem rupis, quæ eſt Græcis πέτρα & πέτρος. Ita Simon autore IESV Chriſto cognomen habuit Petri. Qui accerſente IESV per aquas ad ipſum acceſsit. Idem adhibitus eſt ſpectator & teſtis mutatæ formæ IESV in monte Thabore & vocis diuinæ τῆς μεγαλοπρεποῦς δόξης, vt in epiſtola ſecunda ipſius legitur, & de morte ad vitam reuocatæ puellæ. Idem ſtatera (nomiſma fuit hoc τετραδράχμον) de ore eximere piſcis iuſſus. Hic pro cæteris apoſtolis omnibus reſpondens, eximia oratione profeſſus eſt: IESVM eſſe CHRISTVM filium DEI æterni. Huic vbique princeps inter apoſtolos locus tribuitur. Sed idem ille tantus vir, & obiurgatur increpando à IESV vehementer, & prę-

dicitur ei defectio à se negando. Hic etiam nominatim repræhenditur à IESV, quod in illo tanto discrimine, in maxima animi anxietate vigilante ipso & precante obdormisceret, qui dudum tam gloriose esset locutus. Atque fuit improbatum facinus ipsius, cum gladio stricto amputasset auriculam vnius ex ministris Pontificis. Euenit etiam id quod prædixerat CHRISTVS, vt negando ter Petrus à se desciscerct, & respectu tamen benigno CHRISTI ad se ob factum illud acerbissimo dolore afficeretur. Itaque conuersus ad bonam mentem atque constantiam, & fuit à CHRISTO singulari amore compræhensus, & post familiares sermones mandatum peculiare accepit pascendarum Christianarum ouium, demonstratumque quo genere mortis celebraturus esset gloriose nomen DEI æterni. Postquam igitur ascendisset in cœlum DOMINVS noster IESVS Christus filius DEI æterni, verus DEVS & verus homo, Simon Petrus rem Christianam constituit & administrauit principe loco, & cura simul atque autoritate præcipua. Atque tunc & numerum duodecim apostolorum decessione & morte Iscariotæ deminutum complendum curauit, & habuit conciones præclaras de IESV Christo cum libertate & con-

fidentia

fidentia summa, & nullis minis deterreri se à confeßione veritatis cognitæ de IESV Christo siuit. Tum deinde exemplum edidit tristis illud quidem seueritatis, sed eo tempore necessariæ, in Anania atque ipsius vxore. Coniectus mox in carcerem diuinitus liberatur. Et perspicue cognoscit demonstrante DEO æterno præconium Euangelij ad cæteras quoque gentes præter Iudæos pertinere. Alia etiam mirabiliter ab eo facta exponuntur in Lucæ apostolica historia, vt Aeneæ sanatio, Tabithæ mortuæ in priorem vitam restitutio. Quæ omnia indicanda non enarrranda putauimus: Quod in libris sacræ scripturæ plane commemorata extent. Vnde traducta in alias expositiones vim suam & natiuam bonitatem, magis quam stirpes in solum externum translatæ, amittere videntur. Ibi igitur, vbi debent & vtiliter possunt, legantur atq; cognoscantur, & à nobis attexantur cætera, quæ ab alijs paßim tradita visum fuit colligere. Vxorem habuisse Petrum constat, cum socrus eius à IESV liberatæ febre mentio fiat à Matthæo Euangelista. Idq; dicitur factum in oppido Capernaumo, vt non ex suo oppido sed vicino Petrus vxorem duxisse videatur. Nisi migrando forte domicilia fuere mutata. Epi-

phanius distantiam oppidorum istorum fuisse magnam scripsit. Sed qui his temporibus exposuerunt situs oppidorum in Iudæa & vicinis regionibus, vix duum milium illam fecere. Clemens autem Alexandrinus libro VII..στρωματέων hæc retulit: φασὶ τὸν μακάριον πέτρον θεασάμενον τὴν αὑτοῦ γυναῖκα ἀγομένην τὴν ἐπὶ θανάτου, ἡσθῆναι μὲν τῆς κλήσεως χάριν, καὶ τῆς εἰς οἶκον ἀνακομιδῆς, ἐπιφωνῆσαι δὲ εὖ μάλα ἐπιτρεπτικῶς τε καὶ παρακλητικῶς ἐξ ὀνόματος προσειπόντα: μέμνησο ὦ αὐτὴ τοῦ κυρίου. Quæ sunt ab Eusebio relata in suæ historiæ lib. 3. Et à me in sermonem latinum conuersa hoc modo: Aiunt beatum Petrum, cum cerneret suam vxorem ad mortis supplicium duci, lætatum fuisse vocationis illius & reuersionis domum gratia, atque cohortando consolandoq; diligenter nominatimq; eam compellando acclamasse: O mea tu, memento DOMINI nostri. Fuisse huius quasi curriculum in ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bithynia, ipse indicare quodammodo videtur compellatione epistolæ suæ, quæ & verbis & sententijs atque adeo orationis figuris præclare composita est. De Petri ad munus apostolicum, cui mox præesset designante IESV XII. vocatione, ea quæ Epiphanius disseruit in disputatione contra hæreticos, quos appellat

Alogos

Alogos, hoc loco recitanda existimaui. Scribit enim ille post diabolicam tentationem non statim IESVM ad Iohannem baptistam, sed prius in Galilæam & postea ad Iordanem & Ioannem venisse. Ex eo tempore ab Andrea primum ad IESVM adductum Petrum, sed tunc non fuisse ad munus vocatum Apostoli, neque hunc neque fratrem ipsius Andream, qui die illo quo accesserat, apud IESVM remansisset, sed abijsse rursum hos ad vitæ prioris studia, quæ essent piscationum. Id quod, vt Epiphanius ait, ex alijs historiæ Euangelicæ locis, facile depræhenditur. Postero die egrediens IESVS, vt in Galilæam veniret, obuiam habuit Philippum, & est cum Nathanaëlo collocutus. Atque ita tertio die Canas ad nuptias perrexit, ad quas vna cum discipulis esset inuitatus. Qui autem discipuli tum apud eum fuerint, certo indicari nequit. Epiphanius de Nathanaëlo & Philippo suspicatur & alijs quibuspiam, cum Petrus & Andreas discessissent. Post hoc tempus venit IESVS, inquit Epiphanius, Capernaumum, & ibi habitauit, & cum alia fecit mirabiliter potentia diuina (quæ signa & miracula nominantur) & Petri socrum laborantem febre restituit sanitati. Inde reuertitur Nassarethida, vbi educatus fuerat, &

ea relicta rursum Capernaumum incoluit. Et ad mare progressus cum vidisset piscantes retibus in mare coniectis Petrum & Andream fratres, itemque Ioannem & Iacobum Zebedei filios, ad apostolicum eos vocauit munus. Hi in eo quæstu socij erant Petri atque Andreæ. Et docet Epiphanius de hoc ipso Lucæ expositionem esse exquisitiorem, apud quem legitur, nauem tum Petri ascendisse IESVM, eo scilicet, quod inter ipsos adeo de priore congressu notitia esset, & de sermonibus Baptistæ eum præsidem seu præceptorem fuisse appellatum. Etiam id, quod Petrus tunc dixerit: Exito à me DOMINE, sum enim peccator, in eam partem interpretatur, quasi pœnituerit Petrum, quod ad piscatum redijsset post primam allocutionem IESV. Atq; ita relictis omnibus fuere tandem secuti isti quatuor IESVM, & in numerum relati apostolorum, quorum, ordinatione IESV, fuit caput atq; princeps Petrus. Quæ temporibus ita diuisa putat Epiphanius plana esse & perspicue consentire. Petri Euangelium olim fuit vulgatum, sed à doctoribus pijs in Ecclesia, vt contraria doctrinæ apostolicæ continens, explosum. De Marci autem Euangelio Eusebius scripsit, Romæ Marcum exoratum ab ijs, qui Petrum fuerant

secuti,

ſecuti, quique ad illum ſeſe applicuerant, cum à Simone Mago diſceſsiſſent, conſcripſiſſe à Petro audita atque tradita. Quod monumentis etiam literarum doctrinam ipſius celebrari cuperent. Idq; factum eſſe permittente Petro, & hunc deinde operam deſcribendo nauatam à Marco, ſententia, ipſumq; opus autoritate ſua approbaſſe. Marcum hunc fuiſſe vnum ex ſeptuaginta diſcipulis I E S V, & receſsiſſe ab hoc & ipſum offenſum concione expoſita capite V I. Ioannis Euangeliſtæ, ſed reuocatum à Petro ita priore loco dignatum eſſe, & ſtudium ſuum contuliſſe ad ea literis mandanda, quæ Petrus docendo Euangelium commemorauiſſet: ſcripſit Epiphanius. Vocat autem hunc in epiſtola ſua filium Petrus. Quod de hac ſpirituali altera generatione accepere. Quia autem facta eſt mentio Simonis Magi, quid de eo legatur in Lucæ hiſtoria Apoſtolica notum eſt. Euſebius ex Iuſtino & Irenæo vicum Gittha fuiſſe huius patriam, & veniſſe eum Romam potiente rerum Claudio ſcribit, & ibi cultu diuino fuiſſe honoratum, ſtatua ipſi cum inſcriptione: Simoni D E O ſancto, conſecrata atque poſita intra duos potens. Idem primum autorem ſectæ fuiſſe ait deficientis à veritate doctrinæ Chriſtianæ & hanc corrum-

rumpentis. Cumq; Romam quoque Petrus diuinitus venisset, Simoni aduersarius, par, imo is futurus à quo ille euerteretur, & ab oriente in occasum ita preciosissimam mercem ad mentes illustrandas allatam, & extinctam fuisse Simonis iactatam illam vim vna cum ipso. Hanc vim eximiam & singularem esse Simon perhibebat, potentiæ SANCTI spiritus, acquiescentis in muliercula Tyria, quam circumducebat ipse secum, nomine Helenen, & ornabat speciosis nominibus ἐννοίας καὶ ἀθηνᾶς, id est, intelligentiæ & Mineruæ, de qua ita traditur ridicule nugatus esse, vt ludibria Diabolica non perspicue cognouisse omnes, mirum esse videatur. Eam mulierculam & Selenen, quo luna nomine significatur, vocatam, animaduerti potest ex eo itinerario Clementis, cuius paulo ante meminimus, quod Ruffinus latinum fecit. Sed quæ & in isto & alijs scriptis Tragœdiæ præterea aguntur de disputationibus & actionibus Petri & Simonis mirificis, haud scio an magis religiosæ pietati officiant cognitione sua quam prosint. Non aliter quam iste repræsentationes historiarum sacrarum dramaticæ, collata expositione in personas. Non me fugit quæsitum esse à quibusdam, veneritne Petrus Romam an non venerit.

Sed

Sed & venisse eum Romam & ibi secundum Iesv Christi prædictionem supplicio crucis esse affectum, cur dubitare nos velimus caussa non est. Et refellens hoc studium curiosæ calliditatis potius quam exquisitæ diligentiæ putandum. Nam si concedatur hoc, vt vnusquisq; veterum scriptorum autoritatem suo arbitrio conuellere audeat, cum præsertim cur fides aliquibus habeatur nihil obstet, vel quando consensu etiam aliqua communi fuere confirmata: quid certi remanebit, aut quid omnino reperiri poterit, in quo fides & assensio innitatur? Quæ sunt fabularum similia aut repugnant alijs minus dubijs, aut de quibus ambigua fuit bonorum & grauium sententia, in ea licet iudicio prudente inquiratur, cætera non labefactentur confidenter & temere. Non igitur audiantur refragantes hac in parte & autoritati antiquorum & consentienti pietatis religiosæ opinioni. Credatur etiam ita se rem habere, quemadmodum Epiphanius scripsit: Cerinthum fuisse vnum ex ijs, qui Petro aduersati fuere resistentes, cum ad Cornelium ille Centurionem accessisset, & commouisse eum multitudinem Hierosolymis hoc crimine: Quod Petrus gentibus non circumcisis consuesceret. Credatur sane & Eusebio, dictum fuisse, quod

se, quod Claudij Imperatoris temporibus Philon Iudæus notitiam Petri habuerit, & cum eo sit versatus. Cætera, quæ de scriptis Philonis ibidem differuntur, cum attentione legantur. Sunt enim eiusmodi, vt multas ansas contradicendi, vel certe quædam notandi, dare videantur. Id quod eo minus dubitanter perhiberi potest, quod Philonis scripta iam præcipua edita sint, & Iudaicis superstitionibus philosophicas disputationes confundentia, & ijs, quas Græci ἀλληγορίας vocant (quæ sunt commenta ingeniosa interpretationum, cum aliud dici aliud significari videtur) sacrarum scripturarum veritatem contaminantia & eleuantia autoritatem. De colloquio autem Appionis cum Petro, quæ idem Eusebius lib. 3. historiæ Ecclesiasticæ scripsit, interpretari & ascribere hoc loco placuit, etiam admonitionis & cautionis gratia. Sic igitur Eusebius: Iam vero Clementis (loquitur autem de vetere Clemente, quem Romanum patria fuisse accepimus) alia quidam multis versibus composita scripta heri & nudiustertius protulerunt, Petri inquam & Appionis colloquium continentia, quorum apud antiquos nulla prorsus extat mentio. Non enim puram illa conseruant formam apostolicæ doctrinæ re-

ctæ.

ctæ. Hactenus Eusebius. Quæ poterit esse regula legendis scriptis omnibus, de quibus quæri dubitariq; solet atq; fas est. In libris Clementis στρωματέων sæpe mentio fit præconij Petri, ipse κήρυγμα Petri vocat. facit Eusebius etiam mentionem imaginum referentium similitudinem & faciem Petri & Pauli. Sed addit expressas eas fuisse more earum gentium, quibus veritas rerum diuinarum ignota esset (quod hominum genus appellatione communi proprie Ethnicos vocari scimus) vt hoc notare eum non laudare appareat. De instituto à Petro quadraginta dierum ieiunio & ceremonijs seruatis in conuentibus Ecclesiasticis, quæ συνάξεις, & functione muneris, quę λειτουργίαι sunt, itemq; collocata sede principatus in vrbe Roma, à nobis neq; decet neq; omnino fortasse debet disputari. Sunt autem omnia ista talia, vt & temporibus exquirenda, & personis declaranda, & locis quoque concilianda esse videantur. Concordare quidem ea & sacrarum scripturarum sententiam atq; doctrinam, si fidem inuenire velint, necesse est. Quæ sunt iam nimis vehementer agitata inquirendo, & demonstratis vitijs erroribusq; manifestis, frustra prætendetur antiquitatis sincera integritas & sanctitas religiosa. Sed vt in morbis ad spem

sanitatis

ſanitatis & iudicium mali & medicinæ curatio neceſſaria eſt, ſic ad recuperandam dignitatem priſtinam retinendamq; diſciplinam in Eccleſia, & ingenua confeſsione peruerſitatis atq; corruptelæ, & ſtudioſa correctione emendationeq; tam doctrinæ quam morum opus eſt. De quo imploremus opem DEI æterni, in hac ætate extrema mundi, qua ſupremo illius die appropinquante, & fidei ſanctitatem ſcelerate violatum, & vitam turpiſsime diſſolutum iri, prædictione DOMINI noſtri IESV Christi cognouimus. De principatu quidem ſedis ſeu ſolij conſtat iam olim fuiſſe controuerſiam inter Romanos & Antiochenos, quod hi apud ſeſe prius Petrum quam Romæ præſediſſe, & primum cepiſſe Chriſtianum nomen vſurpuri, perhiberent, illi ſua morte Petrum quaſi fundaſſe ſolium iſtud contenderent. Sane Petrum apoſtolum & præſediſſe in Eccleſia Romæ, & ibidem Neronis imperatoris temporibus cruci inuerſo corpore, vt caput infra eſſet, affixum præclara morte ſecutum eſſe IESVM Chriſtum, cum quidem reliquiſſet ſucceſſorem Linum natione Tuſcum, & ſepultum in Vaticano: Hæc inquam omnia vere tradita eſſe credamus, neque in dubium patiamur vocari, & colamus memoriam pietate religioſa

gioſa & gratis animis, tam præſtantiæ apoſtolicæ quam maximorum beneficiorum doctrinæ & exemplorum, venerantes DEVM æternum patrem DOMINI noſtri IESV Chriſti autorem & largitorem tantorum bonorum, quæ orbi terrarum apoſtolicis laboribus collata ſunt, ad certam in fide Euangelij ſpem ſalutis & vitæ ſempiternæ, qui vna cum filio & SANCTO ſpiritu DEVS vnus, ſolus, verus viuit & regnat ſæculis infinitis.

ANDREAS.

NOMINA apoſtolorum, id eſt duodecim virorum, quos ex omnibus diſcipulis legiſſet IESVS, vt mitteret ad præconium Euangelij de regno DEI, in ſcripturæ ſanctæ locis quatuor ſerie exponũtur, ſed diuerſa. Etiam alia eſt eorum, qui ſymboli, quod apoſtolicum vocant, capita ſingula ſingulis apoſtolis autoribus tribuunt. Quam opinionem retinere certam atq; firmam recte poſſe exiſtimo. Siue quidem ita res geſta eſt, vt à ſe vnuſquiſq; ex apoſtolis conferret vnam de doctrina cœleſtis veritatis ſententiam, & ſummo hoc modo quædam illius pertexeretur, ſeu de hac ſumma abſq; tali quaſi collatione capitum ipſi conſenſerunt,

runt, nomine vero ſymboli apoſtolici ea eſt appellata: Quod ſignum & quæ nota eſſet confitentium veritatem cœleſtem cui fidem habuiſſent. Vnde & fidei nomine vocatas eſſe ſcimus, huiuſmodi doctrinæ in Eccleſia ſummas, quæ poſtea multæ & variæ prolatæ fuere. Sane cum apoſtoli diſcedendo, ſecundum mandatum IESV Chriſti in totum orbem terrarum ſepararentur, religioſæ & piæ attentionis ac curæ fuit, vt inter ſeſe prorſus de doctrina conuenirent. Hoc enim fundamento niti atque conſiſtere omnem apoſtolici muneris functionem & prædicationem de IESV Chriſto & Euangelij præconium oportuit. Nam conſentiente per omnia doctrina, in reliquis, ſi qua eſſet forte diſsimilitudo, non multum habuit ea res periculi. Et potuere cuncta facile explicari non modo amanter conferendo, ſed grauiter etiam diſputando atque adeo obiurgando & reprehendendo, ita re poſtulante. Nam fieri certe poteſt, vt offenſiones exiſtant inter eos quoque qui ſunt amiciſsimi & maxime concordes. Cuiuſmodi in epiſtola ad Galatas exponitur non expers contentionis. Vbi ipſe apoſtolus Paulus ait Petrum à ſe vehementer fuiſſe increpatum. Id nos in hiſtoriola noſtra de Petro non poſuimus, quod Euſebium meminiſſe-

minissemus ex libro Clementis Alexandrini ὑποτυπώσεων quinto retulisse in historiæ suæ librum primum: Alium fuisse Petrum illum cum quo Paulus Antiochiæ disceptasset, non apostolum, sed vnum ex septuaginta discipulis. De quo nos amplius quærere disputareq; nihil attinet. Hoc notandum putaui: Interpretatum esse Ruffinum ὑποτυπώσεων libros disputationum, cum informationum aut similiter potius debuisse videatur. Sed reducatur excurrens oratio ad propositum. De doctrina & consensisse, & consensionis eius quasi formulam expressam constituisse apostolos, priusquam in diuersa loca terrarum abirent, sine dubio credendum est. Sed de ordine seu serie nominum nihil est necesse nos anxie solicitari, cum dignitate aut existimatione nullum ex apostolis præferri alteri, ac potius vnum quenque se inferiorem humilioremq; ducere CHRISTVS iusserit. Petri quidem nomen vbique primo loco positum legitur. In cæteris nos eum ordinem sequi voluimus, quem Lucas Euangelista seruasset, vt magis historiæ Iohannis Euangelistæ congruentem. Hic igitur subijcit Petro fratrem Andream, quem Eusebius ait sortitum esse Scythiam, ita enim tradi. Socrates autem scholasticus libro primo historiæ suæ ne-

ſcio quo autore ſcripſit, diſtributo orbe terrarum ad præconium Euangelij faciendum ſortitione vnicuique ex apoſtolis obueniſſe ſuam quaſi prouinciam in qua Euangelium doceret. Sane Euſebius librum quendam comprǽhendentem res geſtas, id eſt, πράξεις Andreæ & Ioannis aliorumque apoſtolorum, ita improbat atque repudiat, vt ne inter ea quidem numerari, quæ non germana habeantur Eccleſiaſticorum ſcriptorum, ipſe νόθα appellat, quodque in ijs neq; res neq; oratio cum apoſtolica forma atque veritate congruat, pro commentis hæreticorum illa duci velit. De ijs, quæ leguntur in Ioanne Euangeliſta, conſtat Andream fuiſſe vnum ex duobus diſcipulis Ioannis Baptiſtæ, qui audito teſtimonio de IESV prætereunte magiſtri ſui, illum ſecuti fuerint vel domum vel ad hoſpitium ipſius. Credibile etiam eſt, quod fuerit minor natu Petro. Nomen ſi eſt Græcum, eius formæ, cuius eſt αὐγέας, δημέας, πρωτέας, ſignificationem habet virtutis ſeu fortitudinis ab eo ductum, quo vir ſignificatur. Nam Hebraicam exquirere originem nimis anxiæ curioſitatis videri poſsit. Cum autem multa ab Andrea in Achaia mirabiliter facta eſſe memorentur, & perhibeatur ipſe Patris, iam tenente imperinm Veſpa-

ſiano,

ſiano, crucis ſupplicium pertuliſſe, præſide Hegea quopiam ei infeſto, & oſſa translata Byſſantium à Cõſtantio imperatore, neceſſe ſcilicet eſt ex Scythis in Græciam eum veniſſe. Et narratur per Thraciam iter feciſſe. Apud Scythas quid egerit non admodum celebratur. Cætera ſunt in medio, in quibus hoc egregium dictum ipſius refertur, cum non pateretur quoſdam genere proximos nuptijs iungi: Non impediri à ſe neque diuelli nuptias, cum DEVS æternus harum ſit autor, ſed damnari inceſtos concubitus. Vt illud iam de præſidis vxore, quam Maximillam nominant, Chriſtiana facta, & abſtinente mariti conſuetudine, confictum eſſe videatur. Contrarium enim hoc & illi dicto & doctrinæ apoſtolicæ eſſe conſtat. Quæ nos in præſentia notaſſe ſatis, neque quid præterea de apoſtolo hoc addendum putaremus, habuimus. Id non omittendum eſſe duximus, cum mentio facta ſit ſeparationis apoſtolorum diſcedendo, non accipiendum hoc ita eſſe, quemadmodum pingi & fingi cernimus, quaſi vno quodam momento in diuerſa abierint ſeſe mutuo conſalutatis. Nam & congreſſus horum inter ſeſe poſt itinera inita, & digreſsionem non ſubitam & quaſi præciſam illorum fuiſſe, permulta vi-

dentur indicare. Sed in hoc parum fortaſſe momenti ſit, quid aliquis ſuſpicetur aut credat.

IACOBVS.

IACOBVS is de quo nunc dicturi ſumus, frater fuit Iohannis, Zebedei filius. Hunc maiorem vocarunt. Matrem tradunt fuiſſe ſororem Ioſephi Salomen nomine. Sed de Saloma antea à nobis quædam dicta ſunt, ex quibus poteſt conijci eam liberos non peperiſſe. Hoc igitur incertum relinquatur. Fuiſſe etiam hi populares Petri Andrææq; &Philippi putantur. Atq; ſuſpicatur Epiphanius, alterum ex diſcipulis Baptiſtæ, qui cum Andrea ſectari cæperit IESVM, vel Iacobum hunc vel fratrem ipſius Ioannem fuiſſe, propterea quod eſſent hi populares contubernaleſq; , & facerent eundem quæſtum & operas darent communes, id eſt, ſi quis forte græca verba requirat, διὰ τὸ ὁμόχωρον, διὰ τὸ σύσκηνον, διὰ τὸ ὁμότεχνον, διὰ τὸ ὁμοιεργές. Hic vna cum fratre & patre exercens quæſtum ſuum piſcando, vocatus ad apoſtolicum munus, quo ordinatione poſtea IESV fungeretur, ſtatim relicto patre ſecutus eſt ipſe & frater IESVM. Eundem eſſe cum Iacobum exiſtimatur,

tur, quam vna cum Petro & Ioanne ad singulares & eximias actiones adhibuerit IESVS, & in montem Taborem, vbi forma faciesq; eius illustrem & speciosum in modum fuit mutata, adduxerit, & post cœnam vltimam in hortum secedens, in quo proditus fuit & compræhensus. Huic obtigisse tradunt Iudææ & Samariæ regiones, in quibus faceret præconium de regno cœlorum. Cum quidem etiam in Hispanias abierit, vnde cum non admodum copioso fructu laborum suorum in Iudæam reuersus, principe in imperio Romano Claudio, quemadmodum tradit Eusebius, ab Herode rege gladio est interfectus. Id quod scripsit Lucas. Sed Eusebius hæc etiam ex septimo informationum, hanc enim ὑποτυπώσεων interpretationem, vt dixi, esse puto, Clementis exposuit, quæ ille ita tradita retulerit à prioribus: Quod is, qui nomen Iacobi detulisset & eum vocasset in iudicium, cum cerneret in testimonij constantia illum perseuerare, commotus se quoq; esse Christianum confessus fuerit. Abducti igitur sunt, inquit Clemens, ambo. In via autem petijt iste veniam à Iacobo, qui post breuem considerationem, pax tibi, inquit, & est eum osculatus. Suntq; ita amborum capita amputata. Hunc Iacobi accusa-

torem Iosiam scribam nominarunt. Perhibent etiam ossa ipsius in Hispaniæ maritimam regionem deportata esse, quæ Gallæciæ nomen habuit, vbi Artabri populi olim incoluerunt. Nunc vrbem Compostellam & regionem Galaciam ac finem terræ vocant. Quo è longinquis locis & à diuersis nationibus, superstitiosis peregrinationibus ventum aliquando studiosius fuit, quam his temporibus. Neque istius itineris votum potuisse vlli facile remitti creditum est. Quia autem scripsit Lucas ab Herode esse gladio necatum Iacobum: Sciendum est Herodem cognomento Magnum filium Antipatri Ascaloniten primum fuisse alienigenam Regem Iudæorum. Quo regnante natus est filius DEI in terris DOMINVS noster IESVS Christus, & sunt iussu illius infantes Bethlehemitici cum finitimis interfecti. Huius filius fuit, matre Marianna Simonis pontificis filia, Herodes Antipater & idem Antipas, qui Baptistæ Ioannis iussit in cercere caput ceruicibus abscindi. Et affectans maiorem potentiam omni gubernatione est à Cæsare Caio priuatus, relegatusq; Lugdunum ibi mortem obijt. Herodi autem Agrippæ Aristobuli filio Herodi Magni nepoti (qui Magnus & ipse est appellatus) tetrarchia huius attributa, & postea

ſtea auctum regnum fuit à Cæſare Claudio. Hic eſt, qui Iacobum apoſtolum gladio curauit interficiendum & conijciendum Petrum in carcerem, & miſerabili poſtea exitu vitam finiuit. Quæ de Iacobo hoc apoſtolo alia tradita ſunt, de ijs ſuum cuiuſq; iudicium eſto. Hoc ſine hæſitatione vt falſum & fictum repudietur, apoſtolo hoc ſuaſore & autore Salomen à viro ſuo diſceſsiſſe, quaſi in coniugio fidelis CHRISTO eſſe non poſſet, & in hoc ipſo facto ab apoſtolo eſſe magnopere confirmatam. Nam ab apoſtolica iſtud doctrina abhorret, quæ nuptias iungit non diſtrahit. Sed de his ſatis. Nomen Hæbræum ſignificationem habet plantæ, vt ſupplantantis voce aliquis latina interpretando vti poſſe videatur. Ad hunc etiam autorem epiſtolam, quæ inter Catholicas ſeptem prima numeratur, à nonnullis relatam fuiſſe non eſt obſcurum.

IOHANNES.

SEQVITVR in propoſita à nobis ſerie Iohannes frater Iacobi. De cuius iam patre & patria dictum eſt. Cognomen autem his fratribus fecerat IESVS ſignificans ſobolem tonitrui, vt Boanerges vocarentur. Iſta enim ſcriptura extat apud Marcum.

Iohannis autem Hebraicum nomen gratiosum apud DEVM significat. De cognatione cum IESV horum fratrum nihil habeo certi indicare. Fuisse sane cognatos & familiares dubium esse non potest, legenti scripta Euangelica, in quibus hoc plane dicitur, IESV inprimis carum fuisse Iohannem. Atq; ipse in suo libro descriptione discipuli quem IESVS diligeret, sese semper indicat. Et liberius consuetudine IESV hunc vsum esse, ex ijs facile perspicere licet, quæ perstringendo de eo in libris sacris scripta esse mox recensebimus. Accessio ad IESVM etiam & postulatio matris horum fratrum tam confidens, declarat non fuisse eos alienos. Sed de Iohanne in libris sacris factas mentiones breuiter, vt ibidem legendo cognoscantur, indicabimus. Primum secutus est ipse & frater, sine respectu ad patrem & cætera omnia, vocantem IESVM. Quodam tempore, cum in Samaria hospitium nusquam pateret IESV transeunti cum discipulis, Iohannes vna cum fratre indignantes ob hoc vlciscendam inhumanitatem illam igne cœlitus demisso, quo homines conflagrarent, censuerunt. Sed fuere grauiter refutati à Christo. Indicans etiam Iohannes, quod vetuissent quendam nomine IESV dæmonia ex-

ijs,

ijs, quos illa corripuissent, eijcere, reprehenditur à IESV, & deinceps fieri id prohibetur. Eundem vna cum Petro misit IESVS ad instruendam parandamq; cœnam, quam cœnauit vltimam in terris. In qua cum ita Iohannes accumberêt, vt caput ipsius ad CHRISTI caput vergeret, ad nutum Petri inclinatus in pectus CHRISTI, ita de proditore eius interrogauit. In atrium quoq; Pontificis, cui notus esset, captum IESVM prosecutus Iohannes, & vt Petrus admitteretur, scilicet perfecit. In cruce etiam pendens IESVS huic tanquam alteri filio commendauit virginem matrem suam. Ad nuncium autem, quod sepulcrum IESV vacuum esset repertum, ipse eo tanta incitatione cucurrit, vt Petrum anteuerteret. Atq; de eodem percontanti Petro, quid futurum esset? cum conditione respondit IESVS: Si ita remanere eum velit, nihil hoc ipsius interesse, cum quidem Iohannes eo tempore primus ex discipulis compluribus qui aderant, IESVM agnouisset, & indicasset Petro. Idem affuit Petro cum restitutus est sanitati claudus residens ad portam templi & mendicans, & ambo simul tunc in custodiam dati diuinitus liberati, & fortissimo animo in confitenda veritate de IESV Christo constantes fuere.

Vbique

Vbique autem in ſingularium & magnarum rerum tractatibus hic cum Petro & alicubi cum Iacobo coniungitur. Quæ omnia ſuis locis expoſita legantur & conſiderentur à religioſæ pietatis ſtudioſis. In Iohanne fuiſſe probitatem vitæ & honeſtatem ſuauitatemq; morum & maximum ſtudium caſtitatis atq; innocentiæ apparet. Hunc quaſi prouinciam habuiſſe Aſiam, ibique commoratum, & Epheſi mortem obijſſe, legitur in Euſebio. Qui & hæc retulit ex ſcripto Polycratis epiſcopi Eccleſiæ Epheſi: In Aſia conſopita fuere μεγάλα στοιχεῖα, id eſt, ingentia elementa (ſic autem appellauit ille autores & principes doctrinæ Chriſtianæ & Eccleſiaſticæ diſciplinæ) quæ reſurgent ad vitam extremo die aduentus DOMINI, quo venturus ille eſt cum gloria celitus, & conquiſiturus ſanctos vniuerſos: Philippus inquam conſopitus Hieropoli & duæ filiæ ipſius quæ virgines conſenuerunt. Alia etiam huius filia in SANCTI ſpiritus adminiſtratione verſata, id eſt πολιτευσαμένη, Epheſi quieſcit. Præterea & Iohannes, qui in pectus DOMINI noſtri incubuit, qui idem ſacerdos inſigne geſtauit tegmen, & martyr fuit & doctor, is conſopitus eſt Epheſi. Alibi idem Euſebius totius Aſiæ Eccleſias Iohannem inſpiciendo adminiſtraſſe

ſtraſſe ait, reuerſum ab exilio. Neque hic vllo in loco Epiſcopi muneri præfuiſſe traditur, vt communiter habuiſſe eum curam credendum ſit, vniuerſarum. Et conſtat Paulum apoſtolum Epheſi Eccleſiam fundaſſe. In ijs autem quæ dicta ſunt, duo conſideranda diligentius videntur. Vnum quod martyr Iohannes perhibetur. Significat autem Græcum hoc nomen, quod Eccleſiaſticus ſermo latinus retinuit, teſtem veritatis cœleſtis & Chriſtianæ fidei ſeu Euangelij perſeuerantem in profeſsione & ſententia, & cruciatus omnes, mortem deniq; perpetientem potius, quam vt mutet animum, vel certe manifeſtum periculum vitæ in confeſsione religionis adeuntem. Ioannem autem ſenem admodum, nonaginta nimirum annis maiorem Epheſi mortuum eſſe, cum imperium iam eſſet penes Traianum, accepimus. Deque ſepultura ipſius ſingulari quæ tradantur, non eſt obſcurum, cui ſane conſentit quod nihil vſpiam reliquiarum corporis ipſius, ſicut aliorum, oſtentatum fuiſſe ſcimus. Etſi peregrinatores narrant in inſula Patmo (Parmoſam modo nominant) manum oſtendi ab incolis Græcis monachis, in qua digitorum vngues non ſecus creſcant, reſecti quoque, ac viuentum, & hanc eſſe dextram perhiberi Iohan-

Iohannis, qua ἀποκαλύψεως librum exarauerit. Vbi igitur vt testis Euangelij & assertor afflictus fuit? Perhibetur sane & in ahenum olei feruentis coniectus, quod quo loco acciderit, de eo narrationes discrepant. Fertur & venenum sciens bibisse, neque id ei nocuisse. Et relegatum fuisse in insulam, quam Patmum nominant, non habetur pro dubio. Etsi igitur non amisit vitam ob testimonium de veritate, ea tamen pertulit, propter quæ merito ipsi martyris nomen tributum fuit. Alterum est, quod considerandum diximus, sacerdotium Iohannis & insigne huius, quod πέταλον appellauit Polycrates. Eo autem nomine & folium significatur, & quæ instar folij explanantur, vt laminæ. Et Græcum nomen legitur in libro Exodi interpretationis LXX. Et latino laminæ Hieronymus vsus est. annexum autem hoc fuit mitræ Iudaicæ Pontificali, vt ita ostendatur fuisse summum pontificē Iohannem. De quo quidem quid præterea indicari à me posit, nihil est. Atque huc fortasse referre liceat, id quod legitur de discipulo noto pontifici. Siquidem Iohannem eū fuisse existimandum esse videatur. Verum his exquirendis frusta, vt opinor, nunc aliquis occupetur. Quapropter veniamus ad alia. Ex libro tertio Irenæi aduersus

uerſus hæreticos expoſuit Euſebius hiſtoriam de Iohanne apoſtolo, qui Epheſi aliquando lauandi cauſſa in balneas veniſſet, cumq; vidiſſet intus eſſe Cerinthum, reſilierit inde ſtatim, atque dixerit: Diſcedamus cito ne ruina balnei opprimamur, cum intus ſit Cerinthus veritatis hoſtis. Hoc cum alijs quibuſdam additamentis Epiphanius, memoria ſcilicet lapſus de Ebione narrauit. Expoſuit etiam Euſebius eodem libro, vel retulit potius narrationem Clementis Alexandrini verbis ex eo libro eius deſcriptis, cuius titulus: Qui diues is ſit, cui ſalus contingat: De adoleſcente perdito conſuetudine improborum & reuocato ad mentem bonam ab apoſtolo. Hiſtoria de Druſiana à diuerſis diuerſo modo narratur. In qua & ipſe implicatur diremta matrimonij conſuetudo doctrina apoſtoli. Quod cum ſemel atq; iterum notauerim, & animaduertam tamen ſimilia vel eadem potius & in has de apoſtolis hiſtorias & alias inculcari, ſatis habiturus ſum hoc loco rem teſtatam me reliquiſſe: Nimirũ cum pernicioſa falſitate aſcribi iſtiuſmodi doctrinam & actiones apoſtolis. Nam & Paulus apoſtolus firma & indiſſolubilia coniugia eſſe vult, & in Epiſtola ad Hebræos matrimonium res grauis atque honeſta perhibetur.

hibetur.

hibetur. Vt autem nulla tempora ſuas peculiares laudes atque virtutes non habent, ſic propriæ culpæ cuiuſpiam ac labis non ſunt etiam expertia. Atqꝫ veriſimile eſt, talia tunc confićta eſſe, quando eo tantum caſtitas prædicabilis viſa fuit, qua extra coniugium corpus purum conſeruaretur. Hac autem opinione accumulatis celebrationibus virginalis continentiæ, extra modum in extollenda & commendanda hac exceſſum fuit. Quod ſi forte apoſtolica doctrina huic conditioni in hac vita pluſculum etiam approbando tribuiſſet, ij tamen huius ſæculi mores & hæc noſtræ ætatis tempora ſunt, vt è contrario ſanćtitas nuptiarum quibus verbis poſsit, amplificanda eſſe videatur, vt occaſio impuritatis, quæ cælibatus nomine vitam occupauit, hoc modo amittatur. Habet autem teſtimonia alia quoque apoſtolica, id eſt, eorum qui apoſtolorum diſcipuli & familiares fuere, coniugium ſanćtitatis ſuæ, & de ſe præcepta, ex quibus eximia ſunt Ignatij, qui etiam ſe IESVM, poſtquam hic viuus reſurrexiſſet de morte, vidiſſe ſcripſit, quiqꝫ ipſe coniunx non fuit, & hoc genus vitæ caſtæ fecit maximi. Hæc igitur illius verbis memorantur: Virginitatis iugum nulli imponito. Eſt enim iſtud bonum & periculoſum & custo-

& custodiæ difficilis, quando necessitate astringitur. Sinito iuniores nuptijs iungi, priusquam in scortis depereant. Non igitur oportuit pulcerrimum & laudatissimum & quasi cœleste in rerris genus virginalis castitatis tanti facere, vt matrimonij sanctitas eleuaretur & pene profana duceretur. Neque religiosam pietatem aliter sentire decet, quam omnes narrationes coniugij statum vel condemnantes, vel conuellentes, vel quocunque modo infamantes, nequaquam congruere doctrinæ apostolicæ, sed esse in illam temeraria deprauatione insertas ab ignorantibus, vel etiam corrumpere volentibus ea, quæ apostoli docendo tradidissent, & ordinando constituissent. Hæc si videntur forte alicui dici vehementius. Is si bonus vir est & pietatis religiosæ amans, intuendo in præsentem vitæ Ecclesiasticæ dissolutionem, & Christianæ religionis nomen propemodum inane, facile perspiciet esse istam & huic similes commonefactiones nequaquam superuacaneas, quamuis quasi stimulis quibusdam, qui aliquos fodiant, non carere videantur. Neque hic locus neque consilium nostrum est, vitia hac in parte insectari; quorum nefaria turpitudo manifesta est, & nimis iam pridem accusatorie exagitata.

 Quapro-

Quapropter ad ea quæ restant absoluenda opus procedat. In insulam relegatum fuisse Iohannem apostolum Domitiani imperatoris temporibus & reuocatum Ephesi rursum consedisse, vt in dubium vocetur caussa nulla; neq; ferendum est, cum habeant hæc testem incorruptam antiquitatem. An ibidem Euangelicum librum composuerit, quæsitum est. De quo in Epiphanio excerpta ex Eusebio & ipsius more aucta atque exornata huiusmodi quædam leguntur: Iohannes reuersus ex insula Patmo, cum inuenisset homines occupatos de aduentu CHRISTI terreno, & Ebionæos deceptos serie generis CHRISTI hominis, quæ ab Abrahamo deduceretur, & retro à Luca ad Adamum vsque abduceretur, quod comperisset etiam Cerinthianos & Merinthianos rixando perhibere nudum hominem CHRISTVM, itemq; Nazoræorum & aliorum similiter hęreses multas, ipse igitur priores secutus (quartus enim hic Euangelicæ historiæ est autor) incipit reuocare, vt ita dicam, eos qui aberrauerant, occupati in CHRISTI aduentu terreno, ipsisq; tanquam post alios accedens, & cernens quosdam in salebras declinasse, itinere recto & vero, vt sic loquar, relicto, talia quædam dicere: Quo ruitis, quo abitis? Qui ingredimini

dimini iter quod trudit in ſalebras & plenum eſt offenſionibus & ducit ad hiatum, reuertimini, non ita ſe res habet. Non eſt Mariæ tantum filius DEVS ſermo, natus ille antea ex patre, & cætera, quæ in diſputatione contra Arij furioſam ſectam commemorantur. Et quæ idem ab eodem aduerſus repudiantes Euangelium Iohannis, quos nominat ἀλόγους. De eo autem libro cuius titulus eſt ἀποκάλυψις, nec non de duabus epiſtolis breuibus, neminem latet fuiſſe ſemper dubitatum, haberéntne autorem Iohannem apoſtolum an alterum quempiam eiuſdem nominis. Huius generis ſcripta ἀντιλεγόμενα vocarunt, id eſt, de quorum autoribus non conſentiretur, quamuis approbationem communem Eccleſiæ haberent. De quibus Euſebius lib. 3. Vbi etiam notauit à Papia antiquo ſcriptore, bis poſitum eſſe quadam in narratione Iohannis nomen. Prius ſic tanquam conſortis Petri & Iacobi & Matthæi & cæterorum apoſtolorum, qui plane Iohannes Euangeliſta eſſe declaretur. Alterum vero eius Iohannis, qui oratione diſtincta inter alios, qui in apoſtolorum numero non eſſent, collocaretur, præpoſito ipſi Ariſtione quodam & plane nominato eo presbytero. Vt his etiam ipſis veritas hiſtoriæ demon-

ſtretur, qua perhibentur duo in Aſia hoc eodem nomine fuiſſe, & duo monumenta Epheſi poſita, quorum vtrunque appellatur nunc etiam, inquit, Iohannis. Quibus cenſet Euſebius neceſſe eſſe vt animus attendatur. Quod ſi quis priorem nolit, quæ exponuntur libro præferente nomen apocalypſis Iohannis, hunc tamen alterum ea vidiſſe credendum eſſe videatur. Breuioribus etiam epiſtolis Iohannis nomen ita præponitur, vt addatur, presbyteri. Quo quidem cum ſenior ſignificetur, apoſtoli illud eſſe tamen accipi poſſe, credere fortaſſe liceat. Dorotheus quiſpiam Tyri Epiſcopus de Iohanne hæc tradidit, quemadmodum nos ſumus interpretati. Iohannes à Traiano in inſulam Patmon relegatus, ibi Euangelium conſcripſit & edidit opera Caij hoſpitis & diaconi. Poſtea reuerſus Epheſi remanſit, & vixit annis c x x. Et deinde ſeſe viuus ſepeliuit voluntate diuina. Sunt tamen qui dicant Domitiani temporibus relegatum eum fuiſſe. Quibus ſane vereor ne fabulæ aliquid implicetur. Etſi nihil eſt, niſi fallor, in his quoque, vnde pietatis religioſæ aſſenſionem magnopere abhorrere neceſſe ſit. De iſtis itaque & ſimilibus, poterit, vt opinor, iudicium liberum relinqui cuiq; & ſine inimica diſcordia diſputari atq; quæri, &

ri, & id retineri, quod maxime verisimile fuerit visum. Scripta Iohannis apostoli sunt verbosa, cum studio explicandi & interpretandi dicta & repetendo exposita, & iterum eadem commemorando. Sunt in his etiam crebræ sententiæ è contrario positæ, vt appareat summopere ei curæ fuisse, vt animo à se concepta declararentur oratione & copiosa & perspicua. Atq; de Iohanne apostolo & Euangelista hactenus. De Ebionæis autem disserens Epiphanius scripsit in Iudæorum Thesauris asseruatum fuisse & Matthæi Euangelium, quod autor Hebraico sermone composuisset, & Iohannis, itemq; Lucæ apostolicam historiam è Græco in Hebraicum translata ambo. Qua occasione longa narratio ab illo pertexitur, quam qui volet, euoluere poterit.

PHILIPPVS.

SEQVITVR eo ordine, quem seruare visum est, Philippus, de quo in Euangelicis historijs legitur, popularem eum fuisse apostolorum Petri & Andreæ. Et iussum à CHRISTO sectari sese in Galilæa, eumq; Nathanaëlo indicasse, quod Mesiam, id est, CHRISTVM (is enim erat nimirum de quo Moses & Prophetæ scripserant) iam

inueniſſet IESVM Nazarenum. Cum eodem de cibo in deſerta loca ſecutis ſe comparando, diſputat IESVS, Philippo quidem conſiderate reſpondente ad numerum eorum qui aderant, & faciente mentionem denariorum ducentorum. Sunt enim ducenti denarij, ſi denarius drachma æſtimetur, oboli mille ducenti. Quod ſi æſtimatur obolus aſsibus duobus, quemadmodū Polybium ſenſiſſe alibi oſtendimus, erunt ſcilicet oboli mille ducenti, ſemiſſes quater mille octingenti. Qua ratione quam proxime nummo Romano ad Græcum redacto, ad ſingulos tum pertinuiſſet tantum propemodum panis, quantum emi poſſet ſemiſſe. Nam ſi denarium Latinum æſtimemus aſsibus decem, vnde & nomen factum eſt, ducenti denarij facient tantum quatuor milia ſemiſsium. Semiſsis autem, ſi redigatur ad noſtratem nummum, reperietur precium ferme nummuli Vuirtenbergici aut Franconici noui. Hæc ad iſtum modum φιλολογηθέντα non inepta hoc loco viſum iri confido. Philippus etiam vna cum Andrea indicauit IESV Græcorum quorundam cupiditatem videndi ipſum. Quod indicium occaſionem dedit præclariſsimæ concioni IESV. Idem à IESV petit oſtendi patrem ſibi & ea audit ex ipſo, quibus perſpicue affirma-

firma-

firmatur vnius DEI æterni in eo natura. Quæ, vt reliqua, ijs locis, vbi exponuntur, legi cognoſciq́ rectius fuerit. Præter iſta traditur in Scythicis etiam regionibus hunc præconem fuiſſe Euangelij, & ad cognitionem veritatis fidelemq́ aſſenſionem plurimos conuertiſſe doctrina ſua, & reuerſum in Aſiam Hieropoli quam Syriæ fuiſſe vrbem in epitoma Stephani legitur, Ebionæorum falſam doctrinam confutaſſe, & ibidem valde ſenem mortem obijſſe, ſepultumq́, vt ſupra quoq́ indicatum eſt, & monumentum eius fuiſſe intra filias duas poſitum. Fuere qui crucis ſupplicium perpeſſum eſſe prodiderint. Epiphanius mentionem facit Euangelici ſcripti falſi atque ficti ab hæreticis (qui oſtentando eximiam cognitionem Gnoſticos ſe voluerunt appellari) præferentis nomen Philippi, in quo perhiberetur demonſtrata à IESV Philippo nugatoria illa collectitiæ animæ natura. Fuit alter Philippus vt credibile eſt Cæſarienſis, vnus ex ſeptem viris ab apoſtolis ad miniſterium Eccleſiæ cibo præbendo delectis, quos Diaconos vocarunt. Ab hoc & in Samaria Simon Magus Baptiſmatis ſancto lauacro initiatus fuit. Atq́ cenſet Epiphanius, quod hic eſſet Diaconus, non habuiſſe eum poteſtatem fungendi munere

χειροθεσίας, id eſt, vt imponente eo manus baptiſſato appareret efficacitas SPIRITVS ſancti. Idem hic & Aethiopem Eunuchum reginæ Candaces baptiſſauit, ad reuertentem eum accedere iuſſus ab angelo DEI æterni. fuiſſe autem illis temporibus Candacen virilis animi mulierem Aethiopiſſam, dominam ſupra Aegyptum incolentium loca Aethiopum, Strabo quoque ſcripſit. Eundem iſtum, qui & Euangeliſta vocatur, Paulus apoſtolus proficiſcens, rurſum Hieroſolyma habuit hoſpitem Cæſareæ. Cuius quatuor fuere filiæ virgines, prædicentes futura. Quapropter videndum vnius ne nominis (cuius ſignificatio ſtudium rei equeſtris indicat) errore de apoſtolo & Diacono ſeu Euangeliſta tanquam eiſdem, ſcripta alicubi confundantur.

BARTHOLOMAEVS.

BARTHOLOMAEI alia mentio non fit in hiſtoria Euangelica & apoſtolica, quam quod vnus fuerit ex duodecim, quos ex omnibus diſcipulis electos ſecum familiariter habuit DOMINVS noſter IESVS Chriſtus, & ad Euangelium primum in Iudæa mox toto orbe terrarum prædicando benignitatem miſericordiamque DEI, docendum

dum ſingulariter ablegauit. Vnde hi apoſtoli ſunt nominati. Quæ autem ab alijs narrantur, ea ſunt in medio. Atq; eſt optandum fuiſſe in hoc genere ſcriptores iſtos maiore religione fideq;, ac diligentia quoq; & attentione verſatos. Noſtrum conſilium non eſt, quicquam illorum refellere, cum præſertim non pauca ſua ipſorum mole ruant. Notare autem viſum eſt, interdum quædam nullo modo diſsimulanda, aut ſilentio prætereunda ei, qui doctrinæ Chriſtianæ ſinceram & puram integritatem amplecteretur, quæ eſt καθολικὴ καὶ ὀρθόδοξος conſenſio Eccleſiæ Dei. Idq; confido neminem religioſæ pietatis ſtudioſum & virum bonum eſſe offenſurum. Nomen huius apoſtoli Hebraica origine deductum, ſignificationem habet filij & aquæductus, ſiue aquæ ſuſpenſæ. Reperitur autem Tholomæi nomen proprium in ſacris libris Hebraicis. fuere tamen qui ſuſpicarentur corruptam appellationem iſtam eſſe confuſione nominis Hebræi & Græci, vt filius Ptolomæi illo ſignificaretur. Satis autem conſtat commiſtis externis gentibus cum Iudæis nomina quoque aliena in eo populo vſurpata fuiſſe, inter quæ eſt, Alexandri, Menelai, Iaſonis. Vt Ptolomæus etiam eſſe aliquis potuiſſe videatur. De quo ſuam cuiq; conie-

cturam retinere concedatur. Sicut de origine etiam atque genere apostoli huius, quod regiæ nobilitatis, atque Indicæ adeo, quidam perhibere non dubitauerunt. Huius sortem fuisse Indicas regiones, quæ late patent & sunt ingentes, etiam Eusebius, vt à prioribus acceptum libro tertio, & libro 5. Bartholomæum Indis reliquisse opus Hebraicum Euangelij Matthæi, scripsit, quod ibi repererit Pantænus magister scholæ Alexandrinæ, cum ardente quadam cupiditate pietatis religiosæ propagandæ in illa loca venisset, & docuisset Euangelium CHRISTI. De genere supplicij non omnes idem tradiderunt. Et satis esse nobis poterit, fuisse eum constantem & fidelem doctorem veritatis, à contumacibus & refragantibus siue in Armenia seu alibi, exquisitis cruciatibus necatum, & gloriosam mortem perfungendo munere suo obijsse. Hoc non credamus in ipsius nomine postea aliquid mirabiliter factum. Nam nequaquam consentit istud cum apostolica doctrina. Negat enim Petrus sua potentia aut vi effectum, vt ingredi posset claudus. Et idem affirmat, non esse aliud quam IESV Christi nomen hominibus datum, in quo salus contingere nobis debeat. Atque sunt de talibus vel per ignorantiam & simplicitatem incul-

inculcatis, vel ſtudio pietatis nimio imprudenter exaggeratis, vel quocunq; modo in doctrinam puram atq; ſinceram tanquam turbidis aquis deriuatis, paulatim etiam mirificis & alienis creſcentibus ceremonijs, ij errores nati, & ſic corrupta contaminataq; eſt diſciplina Eccleſiaſtica, vt partim fabulis Iudaicis, partim aliarum gentium ritibus referta, ne ſpeciem quidem retinuerit amplius, cum res iampridem peruerſa atq; ſublata eſſet. Quod diligenter erat animaduertendum. Iam etiam vna cum contentione & refutatione falſitatis inuectæ, & eorum quæ perperam vſurpata depræhenduntur, irrepit vel etiam palam exiſtit, ſanctarum & neceſſariarum obſeruationum intermiſsio, & in licentia omnium profana animorum leuitas creſcit. Quorum tam grauium malorum ij cauſam dant, vel etiam autores ſunt, qui apoſtolicam ſucceſsionem glorioſe iactantes, neque doctrinæ neque vitæ apoſtolicæ reſtituendæ & inſtaurandæ operam dant, ſuumq; vt opinantur, ſtatum defendendo & confirmando, non verentur pro vitijs manifeſtis propugnare, & errores ita demonſtratos, vt ante omnium oculos verſentur, aſſerere. Quæ quo euaſura ſint, licet cogitent ij quorum maxime intereſt. Nobis hanc mentionem

nem & ſenſus communis miſeriæ, & non iniuſta indignatio ob tantam & ſocordiam & contumaciam, in periculis vndique circumſtantibus maximis, expreſsit. Quam nequaquam abhorrentem ab inſtituto argumento in optimam partem acceptum iri confido. Non enim increpantis neq; accuſantis iſta oratio eſt, ſed vel deplorantis molliter querelam ſuam, vel admonentis fideliter officij omnes, qui rebus laborantibus atq; prolapſis conſulere opitulariq; & poſſunt & debent. Atque nunc deinceps hiſtoriæ deſcriptionem proſequemur.

MATTHAEVS.

MATTHAEVS, vt videtur, græca terminatione nominis ductus ex Hebraico, ſignificationem habere perhibetur Donati. Huius fuit Leui quoq; appellatio, in qua eſt ſignificatio copulæ. Marcus Euangeliſta non obſcure videtur indicare, fuiſſe patrem Matthæi Alphæum. Præterea neque de genere eius neque patria certi quicquam eſt proditum. Capernaumi veriſimile eſt habuiſſe eum tabernam quæſtus ſui, & ibi inde eſſe auocatum à IESV, habuiſſe & domicilium ibidem, de accepto IESV domi ipſius vna cum alijs, & conuiuio parato, con-
ijcere

ijcere liceat, vt Capernaiten Matthæum fuiſſe ſuſpicari aliquis poſſe videatur. De quo quidem hactenus. Quem τελώνην vocarunt Euangeliſtæ, & huius tabernam ſeu officinam τελωνεῖον, is eſt,latinis publicanus. Publicani autem olim equites Romani & homines honeſti dicebantur, qui conducta ſeu redemta habebant in prouincijs vectigalia populi Romani. De quorum operis & miniſtris mentio ſcilicet τελωνῶν apud Euangeliſtas atque alios quoque ſcriptores eſt accipienda. Hos δημοσιώνας quoque vocarunt, à redemtione eorum, quæ publico nomine exigerentur, propius latinum nomen interpretantes. Iſtorum magiſtrum Zacheum perhibet Lucas & appellat ἀρχιτελώνην. Ex his igitur vnum Matthæum fuiſſe exiſtimandum, qui iuſſus à I E S V ſequi ſe, ſine recuſatione & nulla interpoſita mora, paruit. Quod expoſitum etiam eſt ab ipſo Matthæo & Marco deinde atque Luca. Cætera alij tradidere: Nimirum Euangelicam hiſtoriam ſcripſiſſe hunc ſermone Hebraico. Quod opus completum habere & ſeruare Nazoræus Epiphanius, & ſibi exemplum inde transferendi poteſtatem ab eis factam, Hieronymus ſcripſit. Incoluere autem Nazoræi Berroeam quondam in Cœloſyria & Decapoli, vbi Pella olim fuit, re-

ceptaculum Christianorum, qui Hierosolymis ante obsidionem Romanorum excesserant. Hi ad Euangelij doctrinam etiam legis Mosaicæ obseruationem adiunxere. Atque putat Epiphanius his ipsis à Iudæis solenni execratione maledici, cum illi Christianos potius detestentur Nazoræorum nomine vniuersos propter IESVM Nazarenum. De opere igitur Euangelico hoc sane ita esse persuasum habeatur, Hebraico id esse sermone ab autore compositum, cum nostra etiam ætate tale quoppiam fuerit prolatum. Quis autem in Græcum conuerterit, & an non etiam ipse Matthæus Græco quoque sermone conscripserit, cum veteres in medio & ambiguum reliquerint, nos exquirere esset superuacaneum & ineptum quoque. Quia autem supra ex Eusebio indicatum est, reliquisse opus Euangelicum Indis Matthæum, quæri fortasse posit, vnde historia de eo Aethiopica nata sit. Rufini quidem interpretatio Eusebiana, attribuit Matthæo sortem Aethiopiæ, vt Bartholomæo Indiæ citerioris. Sed neutrum horum in græcis libris Eusebij, in primo tamen libro Socratis scholastici vtrunque legitur, loco ex Rufini scriptis translato. In narrationibus etiam istis, quidam eruditi quoque (nam de indoctis minus est mirandum)

dum) non animaduerterunt Candaces nomen in Lucæ hiſtoria apoſtolica poſitum, non viri & Eunuchi eſſe, ſed mulieris Reginæ Aethiopum, cuius ille eſſet Eunuchus, & in eo regno potens, nomine non expreſſo. Eamq; reginam à Strabone vt Dominam Aethiopum celebrari, ſupra diximus. Quapropter cum quadam attentione ea legi poterunt, quæ ſunt de hoc apoſtolo deq; alijs vulgata. Neq; tamen negandum eſt, & ad Indos & ad Aethiopas Matthæum acceſſiſſe, cum præſertim vtranque gentem tam late longeq; patere & extendi veterum deſcriptionibus & noſtrorum quoque temporum narrationibus conſtet. Euangelicum ſcriptum compoſuiſſe Matthæum, ijs temporibus, quibus Romæ Petrus & Paulus docendo Euangelium Eccleſiæ fundamenta iecerint, ex Irenæo retulit Euſebius libro 5. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. In Chronicis vero eiuſdem Euſebij nomen præferentibus, librum Euangelicum à Matthæo compoſitum eſſe anno tertio Imperij Caij Cæſaris legitur. De mirabilium autem operum effectionibus, tam huius apoſtoli quam cæterorum generaliter credi par eſt, fuiſſe illas inſignes, cum haberent adiutorem laborum ſuorum DOMINVM Ieſum, & confirmatorem doctrinæ ſalutaris. Non tamen

men necesse est in singulis, quæ diuersorum narrationibus recitantur, quasi hærere, vel explicandi vel inquirendi gratia. De quo plura dicturi non sumus. Interfectum eum esse ab regio carnifice refragantem cupiditati iuuenili, in templo, traditum est. Non vult autem certe potentia aduersari suæ voluntati vllos, & in hoc mundo talem mercedem reddi apostolis scilicet oportuit, ad exemplum in IESV Christo statutum, & secundum prædictionem ipsius. Patratum facinus perhibent ante diem vndecimum Cal. Octobris, quo in Ecclesiasticis fastis nomen Matthæi apostoli legitur ascriptum. Et seruatum idem est in plerisque alijs, vt quo die excesisset quisque è vita, eo memoriæ ipsius celebrandæ gratia, nomen in fastis ascriberetur, & anniuersariæ illi recordationis tribueretur honos, & exemplũ ad imitandum prædicatione religiosa proponeretur cæteris. De quo quidem in quadam epistola à Basilio scripta putaui in latinum sermonem conuersa hoc loco subijcienda. Sic igitur ille: Quemadmodum pictores, quando imaginem vnam ex altera imagine exprimere volunt, crebro respiciendo ad propositum exemplum, formam illam ad suæ artis & industriæ opus inde transferre student: Ita oportet eum, qui

studio

ſtudio tenetur omnibus partibus perfectæ virtutis, quæ in ſe ipſo elaboretur, reſpicere ad ſanctorum hominum vitam, tanquam ſimulacra quædam ingredientia atq; actuoſa, & quod in illis boni eſt, id ſibi familiare facere & proprium imitando. Atque hic cultus ſanctorum hominum, qui curriculo ſuo confecto in terris, ad conſuetudinem cum CHRISTO Ieſu DOMINO ſuo cœleſtem deceſſerunt, verus eſſe & fructuoſus ſuperſtitibus & placens DEO ipſiſq; gratus exiſtimari debet. Clemens Alexandrinus eo libro, cui titulum fecit παιδαγωγῷ (quo inſtitutio puerilis ſignificatur) ſcripſit, apoſtolum Matthæum ſolitum fuiſſe carnibus abſtinere, & tenuiſsimo victu ac contemtiſsimis eſcis vti, nimirum leguminum, fructuum, olerum. Quo ipſo, vt in cibo atque potu temperantia recte commendatur, & neceſſaria etiam victus cultuſq; apoſtolici ratio indicatur, ſic non debent de iſtis & ſimilibus narrationibus detexi quaſi plagæ edictorum, aut induci obſeruationum laquei. Apoſtolorum vita perpetuis peregrinationibus & nulla ciuili ordinatione occupata, ad maximam atq; ſingularem patientiam laborumq; tolerantiam exercenda fuit inq; primis ad continentiam ac abſtinentiam. Quomodo enim mandato

munere fungerentur, vel curis rei domesticæ implicati, vel alligati publicis curationibus, vel voluptatum vllis illecebris relinquentes locum? Atq; pertinet exemplum horum eo, & ita est ad imitandum propositum omnibus, vt similiter opera detur castitati, sobrietatiq;, vtq; libidines coherceantur, & vitetur immoderatus pastus atq; potus. Nam illis animus exultans nulli salutari cognitioni vacare potest, hoc mens obstupefacta obruitur, & tanquam & in pecude nulla huius apparet efficacitas. Omnino est in Ecclesia Christi necessaria abstinentia atq; continentia itemq; virtutis decus vniuersæ. Neq; hominum istam laudem sed cœtus illius esse conuenit. Vt qui in eo censeri velint, ij vitam degere studeant ab omni turpitudinis labe puram. Aut si sceleribus flagitijsue contaminentur, ex illius sancti populi communitate exterminentur. De precibus enim religiosis quid dicamus? Quas ardentes in Ecclesia CHRISTI frequentari oportet. At hæ certe crapula restinguuntur, & in molli dissolutaq; vita languescunt. Itaq; & apostolus Paulus, vt magis in has incumbatur, vsui quoque legitimæ consuetudinis in coniugio moderandum esse præcipit, & cum harum fere vbiq; in sacris literis mentione mentionem ieiu-
nij

nij coniungi ſcimus. Quinetiam de tali vita conſtitutionem quoque atque normam quandam ſeueræ diſciplinæ extare rectum eſt ac debet, vt omnia fiant ordine in religioſæ pietatis & honeſtatis eximiæ luculenta ſpecie. Sed his ipſis legibus, inſtitutis, ritibus nullo modo ferendum eſt minui Chriſtianæ fidei libertatem, & veritatem religionis cum ſuperſtitionis falſitate aut commutari aut confundi, aut clariſsimo doctrinæ cœleſtis lumini tenebras obduci errorum. Id quod & factum eſſe, & nunc quoque defendi alicubi, non eſt obſcurum. De quo & ipſo in præſentia ſatis. Filius DEI, qui in mundum hunc venit, vt teſtis eſſet veritatis, benigne largiatur SPIRITVM ſanctum Magiſtrum veritatis, laboranti & multipliciter afflictæ Eccleſiæ ſuæ, qui depulſa caligine errorem veritatis lucem reducat, & maculis abſterſis priſtinam reſtituat pulcritudinem.

THOMAS.

PERVENIT iam ſerie propoſita narratio noſtra ad apoſtolum Thomam, quem Lucas inter duodecim ex vniuerſis diſcipulis delectis ad munus apoſtolicum à IESV, octauum numerat. Interpretatur autem

huius nomen Hebraicum Euangelista Iohannes, Græco nomine διδύμου, id est, Gemini. Sunt autem gemini vno puerperio nati fratres. Neq; addi fratres necesse est, cum nihil aliud geminorum appellatione soleat intelligi. Geminos tamen dixit, & Tergeminos fratres Liuius, qui sunt τρίδυμοι. Sed ista hactenus inserta esse, fortasse non sit culpandum. Thomas apostolus reuerti in Iudæam volentem IESVM retinentibus dehortando cæteris discipulis: Et nos, inquit, vna pergamus, vt vna cum ipso moriamur. De quo dicto non alienum fuerit commemorare, quid ex Origene retulerit Theophylactus, cum quidem ridiculam enarrationem eam vocet. Cum Thomas, inquit Origenes, audijsset atque didicisset, quod prophetiæ essent de CHRISTO: Descensurum eum ad inferos & liberaturum esse animas, postquam audit ex Christo: Vado ad suscitandum de somno Lassarum, statuit non posse aliter eum de eo somno suscitare, id est, liberare animam illius, nisi ipse quoque exuto corpore ad inferos penetraret. Quapropter tanquam germanus CHRISTI discipulus, ne tunc quidem relinquere volens magistrum, deliberat & ipse exuere corpus, & cohortatur ad hoc cæteros discipulos, vt vna cum IESV descen-

ſcendant, impenſuro ſuam animam & ex inferis animam amici ſui ita educturo. Atque hæc vt nugatoria ille deridet, & putat ea, quæ in hiſtoria Euangelica leguntur, à Thoma tunc fuiſſe dicta ſimulatione quadam, id eſt, εἰρωνικῶς, vt à comitatu ita IESV cæteros quoque abſterreret. Sunt autem explicationes Theophylacti excerptæ de enartionibus prolixioribus Iohannis cognomento Chryſoſtomi. Quæ ideo etiam hoc loco putaui recenſenda, vt pia & religioſa conſideratione veterum quoque ſcripta legenda eſſe animaduerteretur. Hic idem apoſtolus negat ſe viam noſſe, qua abiturus eſſet IESVS. Huic item IESVS Chriſtus, poſtquam ad vitam à morte reſurrexerat, ſeſe exhibuit præbuitq; contrectandum, & hortatus eſt, vt fidelis eſſe vellet, abiecta omni diffidentia. Quibus demonſtratis perſequamur reliqua. Euſebius libro primo ex publicis monumentis Edeſſenorum Syriacorum, expoſuit exempla literarum principis Augari ſeu Agbari ciuitatis illius ad DOMINVM noſtrum IESVM, & IESV reſponſionem ad hunc. Et indidem hiſtoriam miſsi apoſtoli Taddæi vnius ex ſeptuaginta diſcipulis IESV à Iuda qui & Thomas eſſet, quæ ſane minus diſerta narratio eſt, cum non explanetur, an ha-

buerit Thomas apoſtolus alterum Iudæ nomen, & nunquid Thaddæus iſte apoſtolus fuerit ille ex ſeptuaginta diſcipulis vnus ad munus apoſtolicum delectus. Suſpicari etiam aliquis poſsit, tranſpoſitis nominibus illam deſcriptionem eſſe deprauatam. De quo qui volet, quærat amplius, ſit mentio ab eodem Euſebio de Euangelio Thomæ, quod prorſus repudiat vt alienum à religionis Chriſtianæ ſanctitate. Inter ἀπόκρυφα etiam recenſetur περίοδοι Thomæ, ſicut Iohannis & Petri. Quæ ſcilicet narrationes fuere de itineribus & peregrinationibus iſtorum apoſtolorum. Epiphanius autem confutans hæreſin apoſtolicorum, meminit Andreæ & Thomæ rerum geſtarum, id eſt, πράξεων. Quibus in primis vterentur & ſupra quas fundarent ſuam ſententiam apoſtolici illi. Horum fuere præcipua dogmata: Nihil quenquam poſsidere propriarum facultatum, &: abſtinere coniugio, quod damnarent nuptias tanquam inquinantes illis iunctos. Cum autem iſtiuſmodi quædam in vulgatis narrationibus de Thoma apoſtolo reperiantur, inprimis autem diſtractiones matrimonij, omnino credibile eſt, hæc ex falſis & exploſis catholico conſenſu ſcriptis manaſſe, vt non modo nihil in Eccleſia autoritatis habere debeant, ſed

tanquam

tanquam corruptelæ veritatis exterminandæ esse videantur. Ad autorem Chrysostomum refertur, venisse hunc apostolum ad Magos, à quibus fuissent munera allata infanti CHRISTO Iesu. Cuius penes ipsum fides esto, nam Iustinus Arabicam eam nationem fuisse, quemadmodum alibi quoque ostendimus, censet. Post graues autem cruciatus, inter quos vitam ipsius diuina potentia mirabiliter conseruasset, tandem lanceis confossum apostolum Thomam, & corpus eius Edessam delatum fuisse accepimus.

IACOBVS, COGNOMENTO IVSTVS.

DOMINI nostri IESV Christi cognati atq; consanguinei aliqui, omnium populorum consuetudine fratres appellati fuere. In his præcipue Iacobus ista mentione, quod frater DOMINI Iesu fuerit, ornatur. Eundem & Obliam appellatum, in quo munitæ iusticiæ significatio insit, ex Hegesippo retulit Eusebius. Ea autem fuit existimatio omnium de ipsius sanctitate & virtute, vt cognomento Iusti de eo tanquam proprio nomine vterentur. Quod in illustri excellentia aliquorum fieri solet. Eundem ta-

men & paruum seu minorem vocarunt. Hunc omnium primum episcopum ab apostolis constitutum fuisse in terris traditur, qui præsideret in Ecclesia CHRISTI Hierosolymis, quam gubernasse eum Diuus Hieronymus scripsit annis XXX. Epiphanius, nescio quo autore, refellens impie sentientes de illibatæ virginis Mariæ matris IESV Christi perpetua castitate, vixisse hunc ait post ascensionem in cælos IESV, annis plus minus XXIIII. & mortuum anno ætatis suæ nonagesimo sexto. Cum tamen idem tradat hunc Iacobum fuisse, qui relicta sindone nudus aufugerit, cum comprehenderetur noctu IESVS, quem certe Marcus Euangelista adolescentem appellat. Quædam igitur non exquiri nimis anxie, atque relinqui potius in medio, & retineri simplicem exclusis omnibus controuersijs, assensionem, in Ecclesiæ potissimum non ambigua doctrina, tantum abest vt improbandum sit, vt infinito studio occulta perscrutandi, & nihil non explicandi atque euoluendi, longe melius atque rectius æstimari debeat. Huic conspiciendum se exhibuisse IESVM, postquam resurrexerat viuus à morte, scripsit Corinthijs apostolus Paulus, de quo Diuus Hieronymus amplius aliquid narrauit, translatum ex Euangelio

tio Hebræorum, quod Epiphanius etiam τὸ διὰ τεσσάρων nominari ait, quasi dicamus seriem per quatuor procedentem, vt quatuor ita scripta Euangelica continuata fuisse videantur. Et addit perhiberi, quod autor illius sit Tatianus, vnde secta prodierit τῶν ἐγκρατιτῶν, id est, continentum. Quapropter libri illius neque fuit vnquam neque esse debet aliqua in Ecclesia CHRISTI autoritas. Quamuis à Diuo Hieronymo commemorata nihil absurditatis prorsus, neque adeo incommoditatis quicquam habere videantur. Quod ad cognationem quoque attinet IESV & Iacobi, bifariam hæc demonstrata est. Aliqui, quibus diuus Hieronymus assentitur, tradidere, matrem fuisse Iacobi huius Mariam sororem germanam virginis Mariæ matris. His quidam addunt nupsisse eam primum Alphæo, qui ex ipsa hunc Iacobum susceperit. Quod si idem hic Alphæus est & pater Matthæi, reperiuntur scilicet fratres Iacobus atque Matthæus saltem consanguinei. Mortuo Alphæo tradunt isti nupsisse Mariam illam Cleopæ fratri Iosephi, & peperisse Simeonem, qui post Iacobum episcopus fuerit Hierosolymis. Et dicitur hic sane in libro tertio Eusebij fuisse ἀνεψιὸς DOMINI Iesu, quo certe frater patruelis aut consobrinus

significatur. Epiphanius hunc Iacobum filium fuisse scripsit Iosephi, susceptum ex coniuge, quam habuisset antequam ei virgo Maria mater IESV desponderetur. Et ex illa ait post Iacobum genuisse Iosephum filios tres & filias duas ætate ipsum grandem. Filiorum nomina memorat Iosæ, Simeonis, Iudæ, filiarum Mariæ & Salomes. Fuere etiam qui vocarent Mariam virginem matrem IESV, Iacobi huius & Iosæ matrem, nouercam nimirum quæ desponsa fuisset patri ipsorum Iosepho. Mirum autem videri posit, Iacobum hunc Iosephi filium Perhiberi, animaduertenti vbiq; Alphæi illum in Euangelica & apostolica historia dici, alij igitur cognationem sic explicarunt. Iosephus & Cleopas fratres fuere. Moritur Cleopas sine liberis, ducere igituit oportuit legibus Iosephum relictam vxorem eius, ex qua suscepit cum alios liberos, tum Mariam, quæ virginis Mariæ soror & Cleopæ perhibetur in historia Euangelica Iohannis. Hæc iam ad ea referantur, de quibus rixari aut contendere non opus, vel nequaquam par est ac decet. Quod retineri ab vnoquoq; id, quod maxime arriserit, recte posse videatur. Iacobus hic, cum negligi intermittiq; indies magis ritus Iudaicos augescente numero Christiano-

rum,

rum, ægre & iniquo animo quidam ferrent, & paſsim turbarent in congregationibus piorum, affirmantes neceſſariam eſſe legis obſeruationem, grauiſs: oratione poſt Petrum autor fuit epiſtolæ miſſæ de communi ſententia apoſtolorum Antiochiam. Ex turbatoribus autem illis nominauit Epiphanius Cerinthum hæreticum. Iſtam vero epiſtolam Clemens Alexandrinus appellat Canonicam, & docet ea quæ ibi recenſentur, neceſſario obſeruanda eſſe. Et conſtat ſane diu fuiſſe in Eccleſia obſeruata. Idem Iacobus vel conſilium dedit, vel dantib. aſſenſus certe fuit, de nuncupando voto & ſoluendo ab Apoſtolo Paulo. Id etſi, ordinante DEO æterno illam progreſsionem negotij, ita factum eſſe apparet: Tamen documentum etiam capi inde poteſt, quo interdum ſanctiſsimorum quoque hominum prudentiæ conſilia euadant. Qua enim ratione quietem effectum iri tunc ſperauerant, ex ea quantus tumultus & quam ſeditioſus motus extitit? Sed hæc conſiderationis iam alterius fuerint. De huius Iacobi ſanctitate & aſsiduitate precandi, & ijs exercendis, quibus omnium vitiorum atque cupiditatum quaſi materia excideretur & reſtinguerentur flammæ, itemq; de dignitate pontificia & fideli adminiſtratione

mune-

muneris apoſtolici, deq; conſtante & firmo propoſito confitendi & aſſerendi veritatem doctrinæ cœleſtis de filio DEI Domino noſtro IESV Chriſto, liberatore, redemtore, ſaluatore generis humani (quod eſt præconium Euangelij de regno DEI) Itemq; de crudelitate aduerſantium Iudæorum, & morte ipſi ſeni per maximos cruciatus oblata: De his omnibus, inquam, hiſtoria eſt in medio apud Euſebium Hegeſippi verba referentem libro Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſecundo, & repetentem illa more ſuo Epiphanium in diſputatione contra eos, qui ſanctiſsimam virginem Mariam vnius DOMINI Ieſu ſolam fuiſſe matrem negarent. Quæ mihi narratione mea retexere viſum non eſt, cum & Græce & Latine expoſita extent, & cognoſci legendo ab vnoquoq; facile poſsint. Quibus addi poterit Flauij Ioſephi honeſtiſs: teſtimonium ex vltimo antiquarum rerum narrationis libro. Qui etiam hoc nefarium facinus gentem Iudaicam, exitio vltimo luiſſe cenſet. Quæ & ipſa Euſebius verbis Ioſephi expoſuit. Atq; nos ſanctiſsimi viri & admirabili continentia abſtinentiaq; ac religionis eximio ſtudio celebris apoſtoli memoriam venerantes, ita ad ea quæ reſtant perſequenda procedamus. Extat autem

epiſtola

epiſtola Canonica Iacobi, quæ in Eccleſia Iesv Chriſti inter eas, quæ Catholicæ epiſtolæ vocantur, prima collocata legitur. Eam quidam alteri Iacobo fratri Iohannis aſcripſere, quamuis de autore omnino vetuſtas dubitarit, neque multi ex antiquis doctoribus pijs in Eccleſia, teſtimonijs epiſtolæ illius vſi ſint, quemadmodum ſcripſit Euſebius. Eſt autem epiſtola illa plena optimis præceptis vitæ honeſtæ & ſanctæ, profeſsionémq; fidei Chriſtianæ inprimis decentis. Euſebius libro ſeptimo Eccleſiſticæ hiſtoriæ, ſolium Iacobi, qui primus eſſet deſignatus atque factus epiſcopus Hieroſolymis ab ipſo Domino Ieſu & apoſtolis, ſcripſit illo in loco diligentia ſucceſſorum conſeruatum fuiſſe ad ſua vſque tempora & cum veneratione oſtenſum. Vt autem monumenta quædam retineri aliquorum, neq; ab affectione amoris abhorret, & piæ memoriæ laudem habere poteſt, ſic non etiam hoc ſtudium eo vſq; progredi debet, vt ad manifeſtas ſuperſtitiones & idololatricos cultus euadat. Id quod & in ſimulacris atq; imaginibus & reliquijs aliquorum ex ſepulcris quoque erutis & ad adorandum propoſitis, accidiſſe impietate animaduertenda, iam ſic eſt euidens, vt impudentia quoq; in negando erubeſcere

bescere cogatur. De quo, si necesse est, audiantur alij & grauiores censores talium & accusatores vehementiores. Gregorius certe, quem excellente nomine Theologum vocarunt horribile & atrox in primis esse pronunciat νεκύων λείψανα σέβειν. Quo nos in præsentia autore & dicto contenti pergemus ad ea, quæ restant prioribus adiungenda.

SIMON ZELOTES.

SIMONEM, qui in ea serie, quam nos sequimur, post Iacobum ponitur, Matthæus & Marcus Cananiten vocant, Lucas Zeloten, quo nomine significatur vehemens & incitata affectio & ardor animi in ijs vrgendis, quæ aliquis proposuit atque decreuit. Significatur Zeli nomine & æmulatio, quæ est, secundum Ciceronem, ægritudo, si eo, quod concupierit, alius potiatur, ipse careat. Fuit autem factio olim quædam Iudæorum, quæ sibi imposuit Zelotarum nomen, tanquam acerrimis assertoribus & defensoribns legitimarum obseruationum. Sed plerisque placet græcum hoc ζηλώτου cognomen Simonis interpretari Hebraicum Cananitæ. Cum istud quidem formam patriæ etiam appellationis præ se ferat, & suspicari

ſpicari aliquis forte poſsit, habuiſſe eum Canan in Galilæa patriam. Neque eſt de genere huius quicquam certi proditum. Quidam nomen Simeonis alterius, cum huius Simonis nomine confundentes, perhibuerunt eum Hieroſolymis eſſe interfectum admodum ſenem. Id quod de Simeone libro tertio Euſebij ex Hegeſippo refertur: Qui ſcripſerit & ſecundum epiſcopum hunc Hieroſolymis & filium Cleopæ, & poſt grauiſsima tormenta in crucem ſublatum fuiſſe anno ætatis ſuæ centeſimo viceſimo. Huius igitur Simonis genus in medio relinquatur inexploratum. Deque eo quæ vulgo extant, qui volet is legendo cognoſcat, ſunt enim in promtu. Sane quæ de Magis ibi aduerſarijs Simonis & Iudæ narrantur, ideo attentius fortaſſe conſiderari poſsint, quod dogmata illis tradantur hæreticorum, qui longo poſt eos tempore Eccleſiam Christi Ieſu turbarunt, Saturnilianorum & Baſilidianorum, & qui ſectatores horum ſingularem noticiam iactarunt, vnde & Gnoſtici fuere dicti. Non fit etiam in Euangelica aut apoſtolica hiſtoria alibi de hoc Simone mentio, niſi in duodecim apoſtolorum enumeratione. Neque nobis quid de eo præterea commemoraremus, in mentem venit. Hoc igitur loco

iſtam

iſtam expoſitionem concludentes, de Iuda quem cum hoc coniunxere, & quidam fratrem etiam fuiſſe ipſius crediderunt, quæ recte & vtiliter narrari poſſe putauimus, ea ſubijciemus.

IVDAS QVI ET LEBBAEVS ET THADDAEVS.

LVCAS Iudam Iacobi inter duodecim apoſtolos nominat. Hoc quid ſit, niſi filium Iacobi, equidem non diſpicio. Quidam tamen fratrem maluerunt. Sed Græci ſermonis proprietas ad alicuius nomen alterum caſu eo, quem genitiuum appellant, apponens filium & patrem indicare ſolet. Sicut igitur Matthæo eſt Ἰακωβὸς ὁ τοῦ ἀλφαίου, & idem Lucæ Ἰακωβὸς ἀλφαίου, Iacobus filius Alphæi (quamuis neſcio quo autore hunc Iacobum Ioſephi filium faciat Epiphanius, quemadmodum ſupra oſtendimus) Sic ſcilicet eſt Ἰουδᾶς ἰακωβοῦ, nimirum Ἰουδᾶς ὁ τοῦ ἰακωβοῦ, Iudas Iacobi filius. Cuius quidem Iacobi ego indicare non poſſum, atque haud ſcio an demonſtrari omnino plane nequeat. Itaque de hoc plus verborum facturi non ſumus, & in ignorantia quoq; generis, cum de perſona conſtet, nihil detrimenti pia conſideratio fecerit. Lebbæum hunc

nominat

nominat Matthæus Euangelista, & cognomentum addit Thaddæi. Lebbæi appellatio videtur habere significationem lucis & candoris. Thaddæum autem interpretantur ita, vt idem hoc & Iudæ nomine significetur, nimirum laudans & celebrans confessione sua. Vnde Thaddæum & Iudam cognomine diuersis vocabulis idem significante appellatum fuisse, eum qui proprio nomine Lebbæus esset, suspicari fortasse liceat. Meminit huius apostoli Iohannes Euangelista, non aliter eum denotans quam distinctione ab Iscariota, hoc modo: Dicit ei Iudas, non Iscariota ille, DOMINE, quid accidit, quod te declaraturus es nobis, & haud mundo? Eusebius quidem Iudam fuisse inter eos, qui fratres DOMINI Iesu vocarentur, ex Hegesippo indicat. Et Epistola, quæ Iudæ ascribitur, fratrem hunc Iacobi perhibet. Vnde apud Lucam illud Ἰούδας Ἰακώβου, quidam sic fuere interpretati, vt adderent fratris nomen. Quod si hic & Iacobus & Iudas fuissent filij Iosephi, id quod Epiphanium scripsisse supra docuimus, manifesta esset consanguinitas horum. Sed quid illa ab Epiphanio, quocunque sane autore, tradita conturbet, nos quoque monuimus, vt incerta ista à me relinqui necesse sit, fuere etiam qui hunc

Thaddæum miſſum eſſe exiſtimarent ad Abgarum præſidem Edeſſæ, ſecundum promiſsionem epiſtolæ, cuius exemplum expoſuit Euſebius libro 1. translatum, vt ipſe ait, ex publicis Edeſſenorum literis. De quo etiam ſupra & mentionem fecimus & diſputauimus quædam. Sane in Euſebio Thaddæus ille, qui ad Abgarum illum miſſus fuerit, vnus eſſe plane dicitur ex numero ſeptuaginta diſcipulorum, & tamen apoſtoli quoq; nomine dignatur. De hoc igitur vel quærat amplius, qui volet, vel inexquiſitum etiam iſtud relinquat, & magis neceſſariæ cognitioni operam tempuſq; impendat. Epiſtola Iudæ & Petri poſterior tantam habent inter ſe ſimilitudinem, vt altera ex altera excerpta atque expreſſa videatur. Et conſtat vtranq; eam inter illa ſcripta Eccleſiaſtica habitam eſſe, quæ ἀντιλεγόμενα vocarunt, id eſt, de quorum autoribus quæri ſoleret, quamuis in Eccleſia publice legerentur & doctrinæ apoſtolicæ autoritatem obtinerent.

MATTHIAS.

Cvm Iudas cognomento Iſcariotes (de cuius cognominis tam ſignificatione quam cauſſa alij aliter) & ſcelere & deſperatione miſeri-

misericordiæ diuinæ, & tandem morte horribili numerum duodecim apostolorum deminuisset, forte lectus Matthias, quemadmodum in apostolica Lucæ historia legitur, rursus illum numerum explendo perfecit. In nomine est significatio diuini muneris. Atque perhibent hunc patriam habuisse Bethlehemi oppidum, & in Iudæa Euangelium docuisse, & tandem Pontificum odio sublatum è medio. Non autem idem omnes de genere supplicij tradiderunt. Fuisse vnum hunc ex numero septuaginta discipulorum DOMINI Iesu scripsit Eusebius libro primo, vbi ille quidem nusquam extare ait enumerationem horum nominatim, perhiberi tamen in his fuisse Barnabam, & Sosthenem & Petrum eodem cum Cepha nomine, & Matthiam hunc & Thaddæum ab apostolo Thoma ad Abgarum missum. Cum autem apostoli Matthiæ historia caussam dederit mentioni quæ de Iscariota fieret, non putaui silentio prætereundum id quod de hæreticis Caianis retulit Epiphanius, habuisse eos librum, cuius autoritatem præcipue sequerentur, titulo Euangelij Iudæ huius. Vnde perspici potest, nihil tam esse absurdum aut mirificum, ad quod non aberret in tenebris ignorantiæ mens humana. Clemens Alexandrinus

buerit Thomas apoſtolus alterum Iudæ nomen, & nunquid Thaddæus iſte apoſtolus fuerit ille ex ſeptuaginta diſcipulis vnus ad munus apoſtolicum delectus. Suſpicari etiam aliquis poſsit, tranſpoſitis nominibus illam deſcriptionem eſſe deprauatam. De quo qui volet, quærat amplius, fit mentio ab eodem Euſebio de Euangelio Thomæ, quod prorſus repudiat vt alienum à religionis Chriſtianæ ſanctitate. Inter ἀπόκρυφα etiam recenſetur περίοδος Thomæ, ſicut Iohannis & Petri. Quæ ſcilicet narrationes fuere de itineribus & peregrinationibus iſtorum apoſtolorum. Epiphanius autem confutans hæreſin apoſtolicorum, meminit Andreæ & Thomæ rerum geſtarum, id eſt, πράξεων. Quibus in primis vterentur & ſupra quas fundarent ſuam ſententiam apoſtolici illi. Horum fuere præcipua dogmata: Nihil quenquam poſsidere propriarum facultatum, &: abſtinere coniugio, quod damnarent nuptias tanquam inquinantes illis iunctos. Cum autem iſtiuſmodi quædam in vulgatis narrationibus de Thoma apoſtolo reperiantur, inprimis autem diſtractiones matrimonij, omnino credibile eſt, hæc ex falſis & exploſis catholico conſenſu ſcriptis manaſſe, vt non modo nihil in Eccleſia autoritatis habere debeant, ſed

tanquam corruptelæ veritatis exterminandæ esse videantur. Ad autorem Chrysostomum refertur, venisse hunc apostolum ad Magos, à quibus fuissent munera allata infanti CHRISTO Iesu. Cuius penes ipsum fides esto, nam Iustinus Arabicam eam nationem fuisse, quemadmodum alibi quoque ostendimus, censet. Post graues autem cruciatus, inter quos vitam ipsius diuina potentia mirabiliter conseruasset, tandem lanceis confossum apostolum Thomam, & corpus eius Edessam delatum fuisse accepimus.

IACOBVS, COGNOMENTO IVSTVS.

DOMINI nostri IESV Christi cognati atque consanguinei aliqui, omnium populorum consuetudine fratres appellati fuere. In his præcipue Iacobus ista mentione, quod frater DOMINI Iesu fuerit, ornatur. Eundem & Obliam appellatum, in quo munitæ iusticiæ significatio insit, ex Hegesippo retulit Eusebius. Ea autem fuit existimatio omnium de ipsius sanctitate & virtute, vt cognomento Iusti de eo tanquam proprio nomine vterentur. Quod in illustri excellentia aliquorum fieri solet. Eundem ta-

men & paruum seu minorem vocarunt. Hunc omnium primum episcopum ab apostolis constitutum fuisse in terris traditur, qui præsideret in Ecclesia CHRISTI Hierosolymis, quam gubernasse eum Diuus Hieronymus scripsit annis XXX. Epiphanius, nescio quo autore, refellens impie sentientes de illibatæ virginis Mariæ matris IESV Christi perpetua castitate, vixisse hunc ait post ascensionem in cælos IESV, annis plus minus XXIIII. & mortuum anno ætatis suæ nonagesimo sexto. Cum tamen idem tradat hunc Iacobum fuisse, qui relicta sindone nudus aufugerit, cum comprehenderetur noctu IESVS, quem certe Marcus Euangelista adolescentem appellat. Quædam igitur non exquiri nimis anxie, atque relinqui potius in medio, & retineri simplicem exclusis omnibus controuersijs, assensionem, in Ecclesiæ potissimum non ambigua doctrina, tantum abest vt improbandum sit, vt infinito studio occulta perscrutandi, & nihil non explicandi atque euoluendi, longe melius atque rectius æstimari debeat. Huic conspiciendum se exhibuisse IESVM, postquam resurrexerat viuus à morte, scripsit Corinthijs apostolus Paulus, de quo Diuus Hieronymus amplius aliquid narrauit, translatum ex Euange-

lio

tio Hebræorum, quod Epiphanius etiam τὸ διὰ τεσσάρων nominari ait, quasi dicamus seriem per quatuor procedentem, vt quatuor ita scripta Euangelica continuata fuisse videantur. Et addit perhiberi, quod autor illius sit Tatianus, vnde secta prodierit τῶν ἐγκρατιτῶν, id est, continentum. Quapropter libri illius neque fuit vnquam neque esse debet aliqua in Ecclesia CHRISTI autoritas. Quamuis à Diuo Hieronymo commemorata nihil absurditatis prorsus, neque adeo incommoditatis quicquam habere videantur. Quod ad cognationem quoque attinet IESV & Iacobi, bifariam hæc demonstrata est. Aliqui, quibus diuus Hieronymus assentitur, tradidere, matrem fuisse Iacobi huius Mariam sororem germanam virginis Mariæ matris. His quidam addunt nupsisse eam primum Alphæo, qui ex ipsa hunc Iacobum susceperit. Quod si idem hic Alphæus est & pater Matthæi, reperiuntur scilicet fratres Iacobus atque Matthæus saltem consanguinei. Mortuo Alphæo tradunt isti nupsisse Mariam illam Cleopæ fratri Iosephi, & peperisse Simeonem, qui post Iacobum episcopus fuerit Hierosolymis. Et dicitur hic sane in libro tertio Eusebij fuisse ἀνεψιὸς DOMINI Iesu, quo certe frater patruelis aut consobrinus

significatur. Epiphanius hunc Iacobum filium fuisse scripsit Iosephi, susceptum ex coniuge, quam habuisset antequam ei virgo Maria mater IESV desponderetur. Et ex illa ait post Iacobum genuisse Iosephum filios tres & filias duas ætate ipsum grandem. Filiorum nomina memorat Iosæ, Simeonis, Iudæ, filiarum Mariæ & Salomes. Fuere etiam qui vocarent Mariam virginem matrem IESV, Iacobi huius & Iosæ matrem, nouercam nimirum quæ desponsa fuisset patri ipsorum Iosepho. Mirum autem videri posit, Iacobum hunc Iosephi filium Perhiberi, animaduertenti vbiq; Alphæi illum in Euangelica & apostolica historia dici, alij igitur cognationem sic explicarunt. Iosephus & Cleopas fratres fuere. Moritur Cleopas sine liberis, ducere igitur oportuit legibus Iosephum relictam vxorem eius, ex qua suscepit cum alios liberos, tum Mariam, quæ virginis Mariæ soror & Cleopæ perhibetur in historia Euangelica Iohannis. Hæc iam ad ea referantur, de quibus rixari aut contendere non opus, vel nequaquam par est ac decet. Quod retineri ab vnoquoq; id, quod maxime arriserit, recte posse videatur. Iacobus hic, cum negligi intermittiq; indies magis ritus Iudaicos augescente numero Christianorum,

rum, ægre & iniquo animo quidam ferrent, & paſsim turbarent in congregationibus piorum, affirmantes neceſſariam eſſe legis obſeruationem, grauiſs: oratione poſt Petrum autor fuit epiſtolæ miſſæ de communi ſententia apoſtolorum Antiochiam. Ex turbatoribus autem illis nominauit Epiphanius Cerinthum hæreticum. Iſtam vero epiſtolam Clemens Alexandrinus appellat Canonicam, & docet ea quæ ibi recenſentur, neceſſario obſeruanda eſſe. Et conſtat ſane diu fuiſſe in Eccleſia obſeruata. Idem Iacobus vel conſilium dedit, vel dantib. aſſenſus certe fuit, de nuncupando voto & ſoluendo ab Apoſtolo Paulo. Id etſi, ordinante DEO æterno illam progreſsionem negotij, ita factum eſſe apparet: Tamen documentum etiam capi inde poteſt, quo interdum ſanctiſsimorum quoque hominum prudentiæ conſilia euadant. Qua enim ratione quietem effectum iri tunc ſperauerant, ex ea quantus tumultus & quam ſeditioſus motus extitit? Sed hæc conſiderationis iam alterius fuerint. De huius Iacobi ſanctitate & aſsiduitate precandi, & ijs exercendis, quibus omnium vitiorum atque cupiditatum quaſi materia excideretur & reſtinguerentur flammæ, itemq; de dignitate pontificia & fideli adminiſtratione

muneris apoſtolici, deq; conſtante & firmo propoſito confitendi & aſſerendi veritatem doctrinæ cœleſtis de filio DEI Domino noſtro IESV Chriſto, liberatore, redemtore, ſaluatore generis humani (quod eſt præconium Euangelij de regno DEI) Itemq; de crudelitate aduerſantium Iudæorum, & morte ipſi ſeni per maximos cruciatus oblata: De his omnibus, inquam, hiſtoria eſt in medio apud Euſebium Hegeſippi verba referentem libro Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſecundo, & repetentem illa more ſuo Epiphanium in diſputatione contra eos, qui ſanctiſsimam virginem Mariam vnius DOMINI Ieſu ſolam fuiſſe matrem negarent. Quæ mihi narratione mea retexere viſum non eſt, cum & Græce & Latine expoſita extent, & cognoſci legendo ab vnoquoq; facile poſsint. Quibus addi poterit Flauij Ioſephi honeſtiſs: teſtimonium ex vltimo antiquarum rerum narrationis libro. Qui etiam hoc nefarium facinus gentem Iudaicam, exitio vltimo luiſſe cenſet. Quæ & ipſa Euſebius verbis Ioſephi expoſuit. Atq; nos ſanctiſsimi viri & admirabili continentia abſtinentiaq; ac religionis eximio ſtudio celebris apoſtoli memoriam venerantes, ita ad ea quæ reſtant perſequenda procedamus. Extat autem

epiſtola

epiſtola Canonica Iacobi, quæ in Eccleſia IESV Chriſti inter eas, quæ Catholicæ epiſtolæ vocantur, prima collocata legitur. Eam quidam alteri Iacobo fratri Iohannis aſcripſere, quamuis de autore omnino vetuſtas dubitarit, neque multi ex antiquis doctoribus pijs in Eccleſia, teſtimonijs epiſtolæ illius vſi ſint, quemadmodum ſcripſit Euſebius. Eſt autem epiſtola illa plena optimis præceptis vitæ honeſtæ & ſanctæ, profeſsionémq; fidei Chriſtianæ inprimis decentis. Euſebius libro ſeptimo Eccleſiſticæ hiſtoriæ, ſolium Iacobi, qui primus eſſet deſignatus atque factus epiſcopus Hieroſolymis ab ipſo DOMINO Ieſu & apoſtolis, ſcripſit illo in loco diligentia ſucceſſorum conſeruatum fuiſſe ad ſua vſque tempora & cum veneratione oſtenſum. Vt autem monumenta quædam retineri aliquorum, neq; ab affectione amoris abhorret, & piæ memoriæ laudem habere poteſt, ſic non etiam hoc ſtudium eo vſq; progredi debet, vt ad manifeſtas ſuperſtitiones & idololatricos cultus euadat. Id quod & in ſimulacris atq; imaginibus & reliquijs aliquorum ex ſepulcris quoque erutis & ad adorandum propoſitis, accidiſſe impietate animaduertenda, iam ſic eſt euidens, vt impudentia quoq; in negando erubeſcere

beſcere cogatur. De quo, ſi neceſſe eſt, audiantur alij & grauiores cenſores talium & accuſatores vehementiores. Gregorius certe, quem excellente nomine Theologum vocarunt horribile & atrox in primis eſſe pronunciat νεκύων λείψανα σέβειν. Quo nos in præſentia autore & dicto contenti pergemus ad ea, quæ reſtant prioribus adiungenda.

SIMON ZELOTES.

SIMONEM, qui in ea ſerie, quam nos ſequimur, poſt Iacobum ponitur, Matthæus & Marcus Cananiten vocant, Lucas Zeloten, quo nomine ſignificatur vehemens & incitata affectio & ardor animi in ijs vrgendis, quæ aliquis propoſuit atque decreuit. Significatur Zeli nomine & æmulatio, quæ eſt, ſecundum Ciceronem, ægritudo, ſi eo, quod concupierit, alius potiatur, ipſe careat. Fuit autem factio olim quædam Iudæorum, quæ ſibi impoſuit Zelotarum nomen, tanquam acerrimis aſſertoribus & defenſoribns legitimarum obſeruationum. Sed pleriſque placet græcum hoc ζηλώτου cognomen Simonis interpretari Hebraicum Cananitæ. Cum iſtud quidem formam patriæ etiam appellationis præ ſe ferat, & ſu-

ſpicari

ſpicari aliquis forte poſsit, habuiſſe eum Canan in Galilæa patriam. Neque eſt de genere huius quicquam certi proditum. Quidam nomen Simeonis alterius, cum huius Simonis nomine confundentes, perhibuerunt eum Hieroſolymis eſſe interfectum admodum ſenem. Id quod de Simeone libro tertio Euſebij ex Hegeſippo refertur: Qui ſcripſerit & ſecundum epiſcopum hunc Hieroſolymis & filium Cleopæ, & poſt grauiſsima tormenta in crucem ſublatum fuiſſe anno ætatis ſuæ centeſimo viceſimo. Huius igitur Simonis genus in medio relinquatur inexploratum. Deque eo quæ vulgo extant, qui volet is legendo cognoſcat, ſunt enim in promtu. Sane quæ de Magis ibi aduerſarijs Simonis & Iudæ narrantur, ideo attentius fortaſſe conſiderari poſsint, quod dogmata illis tradantur hæreticorum, qui longo poſt eos tempore Eccleſiam CHRISTI Ieſu turbarunt, Saturnilianorum & Baſilidianorum, & qui ſectatores horum ſingularem noticiam iactarunt, vnde & Gnoſtici fuere dicti. Non fit etiam in Euangelica aut apoſtolica hiſtoria alibi de hoc Simone mentio, niſi in duodecim apoſtolorum enumeratione. Neque nobis quid de eo præterea commemoraremus, in mentem venit. Hoc igitur loco

iſtam

istam expositionem concludentes, de Iuda quem cum hoc coniunxere, & quidam fratrem etiam fuisse ipsius crediderunt, quæ recte & vtiliter narrari posse putauimus, ea subijciemus.

IVDAS QVI ET LEBBAEVS ET THADDAEVS.

LVCAS Iudam Iacobi inter duodecim apostolos nominat. Hoc quid sit, nisi filium Iacobi, equidem non dispicio. Quidam tamen fratrem maluerunt. Sed Græci sermonis proprietas ad alicuius nomen alterum casu eo, quem genitiuum appellant, apponens filium & patrem indicare solet. Sicut igitur Matthæo est Ἰακωβὸς ὁ τοῦ ἀλφαίου, & idem Lucæ Ἰακωβὸς ἀλφαίου, Iacobus filius Alphæi (quamuis nescio quo autore hunc Iacobum Iosephi filium faciat Epiphanius, quemadmodum supra ostendimus) Sic scilicet est Ἰουδᾶς ἰακωβοῦ, nimirum Ἰουδᾶς ὁ τοῦ ἰακωβοῦ, Iudas Iacobi filius. Cuius quidem Iacobi ego indicare non possum, atque haud scio an demonstrari omnino plane nequeat. Itaque de hoc plus verborum facturi non sumus, & in ignorantia quoq; generis, cum de persona constet, nihil detrimenti pia consideratio fecerit. Lebbæum hunc

nominat

nominat Matthæus Euangelista, & cognomentum addit Thaddæi. Lebbæi appellatio videtur habere significationem lucis & candoris. Thaddæum autem interpretantur ita, vt idem hoc & Iudæ nomine significetur, nimirum laudans & celebrans confeßione sua. Vnde Thaddæum & Iudam cognomine diuersis vocabulis idem significante appellatum fuisse, eum qui proprio nomine Lebbæus esset, suspicari fortasse liceat. Meminit huius apostoli Iohannes Euangelista, non aliter eum denotans quam distinctione ab Iscariota, hoc modo: Dicit ei Iudas, non Iscariota ille, DOMINE, quid accidit, quod te declaraturus es nobis, & haud mundo? Eusebius quidem Iudam fuisse inter eos, qui fratres DOMINI Iesu vocarentur, ex Hegesippo indicat. Et Epistola, quæ Iudæ ascribitur, fratrem hunc Iacobi perhibet. Vnde apud Lucam illud Ἰουδᾶς ἰακώβου, quidam sic fuere interpretati, vt adderent fratris nomen. Quod si hic & Iacobus & Iudas fuissent filij Iosephi, id quod Epiphanium scripsisse supra docuimus, manifesta esset consanguinitas horum. Sed quid illa ab Epiphanio, quocunque sane autore, tradita conturbet, nos quoque monuimus, vt incerta ista à me relinqui necesse sit, fuere etiam qui hunc

Thaddæum miſſum eſſe exiſtimarent ad Abgarum præſidem Edeſſæ, ſecundum promiſsionem epiſtolæ, cuius exemplum expoſuit Euſebius libro 1. translatum, vt ipſe ait, ex publicis Edeſſenorum literis. De quo etiam ſupra & mentionem fecimus & diſputauimus quædam. Sane in Euſebio Thaddæus ille, qui ad Abgarum illum miſſus fuerit, vnus eſſe plane dicitur ex numero ſeptuaginta diſcipulorum, & tamen apoſtoli quoq; nomine dignatur. De hoc igitur vel quærat amplius, qui volet, vel inexquiſitum etiam iſtud relinquat, & magis neceſſariæ cognitioni operam tempuſq; impendat. Epiſtola Iudæ & Petri poſterior tantam habent inter ſe ſimilitudinem, vt altera ex altera excerpta atque expreſſa videatur. Et conſtat vtranq; eam inter illa ſcripta Eccleſiaſtica habitam eſſe, quæ ἀντιλεγόμενα vocarunt, id eſt, de quorum autoribus quæri ſoleret, quamuis in Eccleſia publice legerentur & doctrinæ apoſtolicæ autoritatem obtinerent.

MATTHIAS.

CVM Iudas cognomento Iſcariotes (de cuius cognominis tam ſignificatione quam cauſſa alij aliter) & ſcelere & deſperatione miſeri-

misericordiæ diuinæ, & tandem morte horribili numerum duodecim apostolorum deminuisset, sorte lectus Matthias, quemadmodum in apostolica Lucæ historia legitur, rursus illum numerum explendo perfecit. In nomine est significatio diuini muneris. Atque perhibent hunc patriam habuisse Bethlehemi oppidum, & in Iudæa Euangelium docuisse, & tandem Pontificum odio sublatum è medio. Non autem idem omnes de genere supplicij tradiderunt. Fuisse vnum hunc ex numero septuaginta discipulorum DOMINI Iesu scripsit Eusebius libro primo, vbi ille quidem nusquam extare ait enumerationem horum nominatim, perhiberi tamen in his fuisse Barnabam, & Sosthenem & Petrum eodem cum Cepha nomine, & Matthiam hunc & Thaddæum ab apostolo Thoma ad Abgarum missum. Cum autem apostoli Matthiæ historia caussam dederit mentioni quæ de Iscariota fieret, non putaui silentio prætereundum id quod de hæreticis Caianis retulit Epiphanius, habuisse eos librum, cuius autoritatem præcipue sequerentur, titulo Euangelij Iudæ huius. Vnde perspici potest, nihil tam esse absurdum aut mirificum, ad quod non aberret in tenebris ignorantiæ mens humana. Clemens Alexandrinus

libro ſecundo ςρωματέων meminit παραδόσεων Matthiæ, & præceptum ex eis vnum exponit his verbis : θαύμασον τὰ παρόντα βαθμὸν τοῦτον πρῶτον τῆς ἐπέκεινα γνώσεως ὑποτιθέμενος. Quibus ſignificatur, admirationem rerum præſentium quaſi gradum primum conſtituendum, vnde ad altiorem cognitionem aſcendatur, ne in his ſcilicet aliquis inſiſtat & adhæreſcat. Idem Clemens libro 3. hæc ſcripſit: ferunt Matthiam docuiſſe, carni eſſe repugnandum, & ita vtendum quaſi non vtaris (ipſe Græcum verbum παραχρᾶσθαι poſuit) ne quid ei ad luxurioſam voluptatem indulgeatur. Animam vero nutriendam fide & cognitione. Quo loco facere non potui, quin monerem, vt exponentes res præcipuas non vtantur verbis ambiguis parúmue proprio ſermone, & vt cognoſcendæ ſignificationi eorum, quibus veteres ſententiam ſuam explicarunt, diligens opera detur. Nam quod dictum refertur vt Matthiæ, in quo verbum illud παραχρᾶσθαι ponitur, ei Nicolai vnius ex ſeptem viris ſimile ab eodem Clemente memoratur, ὅτι παραχρήσασθαι τῇ σαρκὶ δεῖ. Ex quo perperam intellecto ab alijs tetra eſt hæreſis exorta, cum ipſe Nicolaus & caſtus fuiſſe & caſtos liberos reliquiſſe perhibeatur. Quæ ipſa etiam Euſebius in Eccleſiaſticæ hiſtoriæ librum

brum tertium ex Clemente transtulit. Vbi qui volet legendo omnia certius poterit cognoscere.

PAVLVS.

APOSTOLOS Iesu CHRISTI ab ipso designatos & quasi declaratos fuisse numero duodecim, perspicuum est. Ex quo numero & scelere & interitu suo cum Iscariota sese exemisset, repletus ille fuit sorte Matthiæ. Hæc igitur sic se habere constat. Reperitur tamen & alijs tributum nomen apostoli, in quo legati significatio est. Atque habet hoc ipsum eximium filius DEI Dominus noster IESVS Christus in hunc mundum ab æterno patre missus, ad generis humani liberationem, quod mortifera seruitute peccati oppressum, potestati esset subiectum aduersariæ potentiæ eius, quem Hebraica lingua Satanam, Græca Diabolum vocat. Inter alios post duodecim illos Apostolos hoc nomine celebratur inprimis Tarsensis Saulus & idem Paulus. Et huius socius Barnabas. De quibus & ipsis nonnihil commemorandum esse duximus. Paulum apostolum traditur vel natum esse in oppido Phœnices, cui nomen Gischala versus ortum & aquilonem Hierosolymis di-

ſtante plus minus nonaginta millibus paſſuum, vel inde oriundum, & ex eo migraſſe maiores parentéſue eius Tarſum, quam vrbem in Cilicia aliqui conditam fuiſſe tradidere ab Sardanapalo Rege die vno. Huius incolas ciuitate Romana donatos accepimus à Marco Antonio, & ita ciuis Romanus vel Saulus vel Paulus natus aut certe iure paterno factus reperitur. De nomine mutato nihil certi indicare habeo. Sunt qui in Cypro ita appellatum fuiſſe putant, vbi tum præſes eſſet Sergius Paulus. Eſt autem Sauli nomen Hebraicum, quo ſignificari perhibent expetitum munus. Pauli vero ab origene Græca latinum. Cum autem hiſtoria huius apoſtoli diligenter ab Euangeliſta Luca perſcripta ſit, ad id vſque tempus quo Romam ille primum fuit deductus, ibi omnia legi cognoſciq; fuerit rectius & melius. Sane multa alia græci de eo prodidere, quorum nihil nunc integrum extare nequaquam eſt dolendum, & particulæ quædam relictæ, vt nugatoriæ atque futiles aſpernandæ ſunt. In quibus eſt de Thecla narratio in primis ſpecioſe conficta. Mentio fit & ἀποκαλύψεως Pauli, & ἀναβατικοῦ: Nimirum commenti de auditis & viſis à Paulo abrepto vſque in tertium cœlum & in paradiſum. Cuius rei ipſe meminit in poſteriore

ſteriore ad Corinthios epiſtola. De his igitur, quod ad nos non peruenere, nihil detrimenti factum eſt. Collegit autem Henricus Bullingerus perquam ſtudioſe ante annos aliquot expoſita ab Euangeliſta Luca de hoc apoſtolo, & temporibus accurate diſtinxit, horum ſimul & rerum geſtarum ſeriem præclarecontexens. Quæ mihi alijs nullis in hoc genere editis viſa ſunt minoris facienda. Ego in præſentia ſummam modo quaſiq; indicem proponendum duxi, curſus vitæ in terris Pauli apoſtoli, vnde requiri & quo applicari copioſior explicatio poſſet, ſi prius de mirabili à Iudaica ſuperſtitione illius ad religionem Chriſtianam conuerſione diſſeruiſſem, quod duo bus in locis ab vno autore ea quibuſdam diſſentenea expoſitione commemorata eſſe videantur. Sic enim Lucas ſuis verbis: Qui in comitatu ipſius erant, ij quaſi attoniti aſtabant, vocem quidem audientes, ſed neminem cernentes. Pauli vero ita: Comites, inquit, mei, lucem quidem conſpexere, & fuere metu perculſi, vocem autem non audierunt loquentis mecum. Quæ cum diſcrepare vel ſententiam quoq; contrariam habere aliquis ſuſpicari poſsit, prorſus congruunt, ſi attente conſiderentur. Nam vocem comites illi in luce circumfuſa exani-

mati non audierunt vllius, neque viderunt quenquam, qui cum Paulo colloqueretur; cum ſcilicet ipſius vocem reſpondentis alteri plane exaudirent. Sed nunc indicem illum, quem promiſimus, pertexamus. Ac primum hoc modo conſtat, Paulum ætate iuuenem ſeu adoleſcentem fuiſſe, cum Chriſtianus factus eſt. Conferunt hoc tempus in annum Tiberij, aliqui XIX. aliqui XX. Hic igitur eſto primus annus hiſtoriæ Pauli, quo Iudaicæ impietatis ille aſſertor eſſe deſijt. Damaſco autem in Arabiam profectus, & inde illuc reuerſus, ibiq; de vita periclitatus, venit tandem Hieroſolyma ad apoſtolos Petrum & Iacobum, poſt annos tres. Et inde vt inſidias vitaret, quæ fiebant ei ab affectantibus ſapientiam Græcorum, primum Cæſaream deductus, & mox ablegatus eſt Tarſum. Quod tempus attinget iam annum quintum, ex quo religionem Paulus Chriſtianam amplexus fuerat, & pertinebit ad annum Caij Cæſaris tertium. Eſtq; in Cilicia deinceps Paulus verſatus annos circiter tres. Tum deinde Claudio iam anno rerum ſumma potiente, Barnaba autore Antiochiam Tarſo in Syriam ſe contulit. Vbi illi integro anno congregationem Eccleſiæ frequentarunt, & inde Hieroſolyma ſunt profecti cum pecunia collecta,

quæ ad necessarios vsus tribueretur incolis Iudææ propter prædictionem famis, per totum orbem terrarum peruasuræ. Eaq; re administrata reuersi fuere Antiochiam. Antiochia SANCTO spiritu iubente Seleuciam, & postea in Cyprum venere. Ex Cypro in Pamphyliam, ex Pamphylia Antiochiam Pisidiæ. Et inde Iudæorum aduersaria factione eiecti Iconium perrexere. Vbi cum satis diu bene processisset doctrinæ cœlestis studium, tandem contrariæ similiter factioni Iudæorum, cæterisq; cum ijs consentientibus, cesserunt, inq; Lycaoniæ vrbes abierunt Lystra atq; Derben, & in vicinas his regiones. Vnde retro qua aduenerant, ea Antiochiam Syriæ redierunt, ibiq; non modico tempore fuere commorati. Et ita ablegati sunt Hierosolyma ob controuersiam de circumcisione. Qui annus est decimus quartus, cuius ipse mentionem facit in epistola scripta Galatis. De quo diligentiores quæsierunt, post trienniúmne, cuius ibidem meminit, an vna cum illo decimus quartns hic annus numerandus sit? Atq; quatuordecim his tres illos comprehendi argumentis nequaquam infirmis collectis quidam ostenderunt. Factum autem est hoc iter per Phœnicen & Samariam. Epistolam acceptam ab aposto-

lis, qui Hierosolymis ad explicandam controuersiam illam conuenerant, Antiochiam Paulus vna cum adiunctis sibi detulit. Atque ibidem dissidium factum est Pauli ac Barnabæ. Quod quidem quibuscunque coloribus pingatur, eiusmodi tamen de apostolicæ historiæ expositione apparet, vt tantos tamque diuinos viros Paulum ac Barnabam, homines etiam fuisse ostendatur, id est, eos, quorum animi perturbarentur, & qui in pertinacia essent vehementiores. Nam qualis sentitur in morbis asperior motus, vt in febribus certorum temporum tentationes, quæ λήψεις Græcis sunt, talem dicitur inter hos extitisse acerbitatis contentionem. Non fuerint inimicitiæ hæ neque rixæ, quemadmodum de hoc casu Græci disputarunt, grauis certe fuit dissensio. Abfuerit etiam iracundiæ furor, æquitatem vrgente Paulo & humanitatem retinente Barnaba, coniunctionem tamen ipsorum alienatio ista voluntatum diremit. Cesserint sane sibi inter se, & ne certamen oriretur separari maluerint: Discordia omnino mutuæ consuetudinis suauitatem vtrique eripuit. Sed ex hoc incommodo DEI æterni prouidentia ea ratione rem dispensauit, vt præconio Euangelij longius latiusque diuersa loca personarent, Barnaba in Cyprum reuertente,

Paulo

Paulo peragrante Syriam atq; Ciliciam. Quo itinere ille Derben & Lyſtra redijt. Ibiq; Timotheum ſibi adiunxit, & Phrygiam Galaticamq; regionem atq; Bithyniam tranſeundo in Myſiam peruenit. Quib. omnibus in locis ſiluit doctrina Pauli, reprimente eam SPIRITV ſancto, qui, vt Græci interpretantur, pręuideret ſectam oppugnatricem ſui, id eſt, τῶν πνευματομάχων illa loca peruagaturam eſſe. In Troade autem viſo nocturno impulſus traiecit in Somathracen, & inde Neapolim & ita Philippos Coloniam Macedoniæ acceſsit. His itineribus atq; rebus credibile eſt ferme biennium abſumtum fuiſſe. Philippis vaticinantis muliereulæ quamuis teſtimonij præclari vocem Paulus cohercuit. De quo quæſitum fuit: Quomodo ſpiritus mali inſtinctu agitatam illam commendaſſe Pauli apoſtoli doctrinam exiſtimandum ſit? Græci ita enarrant: Hac arte fidem de cæteris quoq; ſibi Dæmona conciliare voluiſſe, & eſſe eum confeſsione veritatis ſalutari abuſum, ad ſtabiliendam falſitatem perdituram quam plurimos. Si enim admiſiſſet teſtimonium illius apoſtolus, multi ſcilicet decipi potuiſſent, quaſi ipſum ab apoſtolo approbaretur. Sed Philippis per tumultum Paulus cum comitibus ſuis afflictus & in carcerem coniectus

iectus mirabiliterq; liberatus fuit, custode carceris religionem Christianam amplectente. Quem in Græcorum commentarijs inuenio perhiberi Stephanæ nomen habuisse, & meminisse eius apostolum in epistola ad Corinthios priore. Relictis Philippis Amphipolim, Apolloniamq; & tandem Thessalonicam venerunt. Vbi seditione concitata à Iudæis multitudineq; forensi commota, ablegatus noctu Paulus cum suis Berrhoeam concessit, ibiq; similiter tumultuati Iudæi caussam dedere discessionis Pauli ad mare, remanente ibi Sila ac Timotheo. Atq; ita Paulus Athenas peruenit, qui erit annus quartus à tempore acceptæ epistolæ Hierosolymitanæ. Hic opperiens Silam ac Timotheum interea cum philosophis disputauit, & in colle Martio concionem habuit egregiam. Qua, alijs ridentibus, nonnullorum animi ad veritatis cœlestis studium conuersi fuere. In quibus Dionysius Areopagita nominatur, id est, Senator consilij illo in loco. De quo Græcorum narrationes verbosæ extant, conantes probare eum hunc esse autorem librorum de cœlestis & Ecclesiastici ordinis principatu & aliorum cum his editorum, itemq; adiectarum epistolarum. Sed cum de eo ipso semper dubitatum fuerit,

nos

nos etiam rem incertam relinquere conuenit, cum quidem multa, aliam quempiam ista scripta composuisse, argumento esse videantur. Fuit collis Martius Athenis situs aduersus arcem. Sed de ara consecrata inscriptione: Deo ignoto, quæ in Græcorum commentarijs reperi, hic etiam exponenda duxi. Tota, inquiunt illi, inscriptio fuit talis: Dijs Asiæ & Europæ & Aphricæ,, DEO ignoto & externo. Visum est & græca addere: θεοῖς ἀσίας καὶ εὐρώπης καὶ λιβύης, θεῷ ἀγνώστῳ καὶ ξένῳ. Consecratæ autem aræ istius caussæ afferuntur duæ. Vna mandati Panos nunciante Phidippide hemerodromo (id est, si verbum interpretari aliquis velit, diurno cursore) Placuisse enim tunc ascribi hoc, vt si quis forte DEVS propitius ciuitati ignoraretur, ei iste honor habitus esset. Altera caussa ducitur à pestilentiæ sæuitia narrata libro secundo Thucididis. Malum enim illud ab ira diuina profectum arbitrati, ita placandum censuerunt DEVM, quicunque ipsum immisisset, quasi is antea inhonoratus hanc pœnam exegisset. Itaque & aram tunc extruxisse Athenienses & inscriptione tali ignoto DEO consecrasse. Quæ quibus autoribus tradita sint, nescio. Diuus Hieronymus inscriptionem talem indicat. Dijs

Asiæ,

Aſiæ, Europæ, Libyæ, Dijs ignotis, & Paulum pia calliditate numerum mutaſſe cenſet. Pauſanias deſcribens Atticam regionem mentionem facit de aris conſecratis Dijs cognomento ignotis. Ibi, inquit, ſunt etiam βωμοὶ θεῶν ὀνομαζομένων ἀγνώστων. Diogenes autem in Epimenide per populos Athenienſium paſsim fuiſſe ſcripſit aras ſine nominibus, id eſt, non aſcripto nomine DEI cui conſecratæ eſſent, quarum ſcilicet vnaquæque fuit DEI ignoti. Si ſciretur enim cuius DEI eſſet, non eſſet ara ἀνώνυμος. Athenis, opinio eſt, ſcriptam epiſtolam Pauli ad Theſſalonicenſes vtranque, de quo tamen fuere, qui dubitarent, ſuæque dubitationis non futiles rationes afferrent. Neque ea in vrbe apoſtolus Paulus diu commoratus eſt profectus inde Corinthum. Quod totum tempus non compleuit annum integrum, vt aduentus Pauli Corinthum in decimum octauum annnm conuerſi ipſius ad religionem Chriſtianam incidere videatur. Lucas manſiſſe Paulum Corinthi annum vnum ſcripſit & menſes ſex. Atque ea in vrbe epiſtola ad Romanos ſcripta & inde eſt miſſa Romam, ſiue tunc ſeu aliquot annis poſt, id quod magis quibuſdam arriſit. Corintho in Aſiam reuerſus curam & gubernationem Eccleſiæ Epheſi commiſit Timotheo

theo

theo (vel tunc vel poſtea, vt videtur, quando Aſiam prorſus reliquit) Et Hieroſolyma ipſe contendit ad diem feſtum Pentecoſtes. Has enim fuiſſe ferias conſentaneum putatur, quarum Lucas ſic meminit, vt affirmante Paulo ſe appropinquantibus illis eſſe Hieroſolymis oportere, neque patiente ſe vſpiam in itinere detineri. Atq; ſtatim inde diſceſsiſſe eum oportet, & rediјſſe Antiochiam, ibique aliquantiſper commoratum peragraſſe rurſum Galaticam regionem ac Phrygiam. Eo itinere & Laodiceam veniſſe, & inde epiſtolam ad Timotheum ſcriptam miſiſſe creditur, de quo diligentes & attenti non ſine cauſſa ſtudioſius quærendum eſſe cenſuerunt. Tum deinde Epheſum reuerſus eſt, ibique tribus menſibus in Iudæorum congregationibus magna libertate de regno DEI diſſeruit, & mox improbitate quorundam repulſus, ſeparatim ſuos docuit, idque ad annos duos. Indicari autem à Luca Pauli apoſtoli & Hieroſolymam acceſsionem, & Epheſum reuerſionem, Græcorum commentationes monent, eo quod conantibus Epheſijs ſeſe retinere diutius, plane negauerit valedicendo his verbis: Modis omnibus me Hieroſolymis ferias aduentantes celebrare oportet. Reuerſurus autē ſum denuo ad vos DEO volente

lente. Paulus apoſtolus, inquiunt, qui propheta eſſet, & certo ſciret ſe Hieroſolymis Epheſum rediturum, non tamen hoc ſimpliciter aſſeuerauit, docens nos, ne quid abſque iſta appendice polliceamur. Nam nemo nouit quid allatura ſit poſterior dies. Illius autem temporis annorū duum, quod Epheſi conſumſit, res ſunt expoſitæ in apoſtolicà Lucæ hiſtoria accurate. Ibi in ſuorum conatuum temeritate refutati fuere exorciſtæ quidam Iudæi vulgares. Vt autem res iſta ſingularis, ſic nomine quoque haud communi appellata fuit. In quo illo quidem Sacramenti, quod à iuratis dicitur, mentio ineſt. Atque ſignificatur vis quædam verborum, quæ alteri admouetur conteſtando diuinum nomen. Quemadmodum in iureiurando religioſa quædam neceſsitas imponitur non fallendi. Ita & Pontifex apud Matthæum Euangeliſtam interrogatione ſua vrget IESVM conteſtando DEVM viuentem. Imprecationes nimirum iſtæ fuerunt ſacrorum carminum, de quibus adiurandi verbo ſunt interpretes vſi, cum impoſtorum fuerit exorciſſare, factum è græco ſicut patriſſare, id quod Vlpianus ſcripſit de extraordinarijs cognitionibus. Plurimi quoque Epheſi ſuperſtitioſis artibus dediti has excercere deſtiterunt.

runt. Ephesios autem vt studiosos eorum, quæ magica vocantur, celebrat prouerbium quoque, ἐφέσια γράμματα. Non enim hęc de vlla parte optimarum disciplinarum atque artium & liberalis doctrinæ & sapientiæ eruditæ accipienda sunt. Non desunt argumenta quæ colligi posſint ad demonstrandum Corinthijs scripsisse Paulum apostolum literas Epheso missas, cum tamen Philippis datas ascriptum legatur. Quapropter & hoc inter ea relinquatur, in quibus diligentem considerationem occupari non repræhendendum esse videatur. Agitante autem Paulo apostolo consilium profectionis Hierosolymitanæ, excitata fuit illa ingens turba Ephesi à factione Demetrij. De epistolis Pauli disputationes sunt exquisitæ Bullingeri indagantes secundum indicia factarum in illis ipsis mentionum, quando scriptæ & vnde missæ singulæ videantur. Itaque ascripta in editis loca alicubi ille non agnoscit. Sed possunt permulta talia scrutantes fallere, & in his vestigandis non est necesse vel admodum etiam vtile, nimium temporis & operæ poni. Et ipse Bullingerus videtur magis hoc efficere voluisse, ne quis temere quibusuis, quam sibi vt omnes assentirentur. Epheso reuisere Macedoniam Paulo placuit. Qua peragra-

ta in Græciam venit, vbi trium menſium tempus abſumſit. Inde rurſum per Macedoniam Troada & hinc Aſſum venit, & Aſſo ſoluens Mytilenen, Mytilena Chium præteriens traiecit in Samum, & in Trogylio Mycalæ, vt opinor, inſulæ, moratus ita cum ſuis Miletum aduectus eſt. Statuerat enim Epheſum non appellere, veritus, ne ſibi mora inferretur properanti Hieroſolyma. Atque accerſitis Epheſo ſenioribus in Eccleſia habuit præclaram illam orationem, qua & doctrinæ ſuæ eos commonefecit, & ſuum exemplum proponens ipſis ad imitandum Eccleſiarum adminiſtrationem atq; curam vehemente conteſtatione commendauit, & impendentia pericula futuraſq; difficultates prædixit. Quæ oratio vt ſingularis atq; eximia à me aliquando in latinos verſus translata eſt, addita quaſi reſponſione literarum miſſarum ab illis ſenioribus apoſtolo, pia meditatione grauiſsimorum negotiorum. Mileto in inſulam Con nauigauit, & hinc Rhodum, Rhodo Patara, & inde præteruectus Cyprum, quæ relinqueretur ad ſiniſtram, Tyrum, Tyro Ptolemaida, & tandem Cæſaream, vbi hoſpitio vnius ex ſeptem viris Philippi, quem Euangeliſtam vocat Lucas, acceptus, prædictione certiore etiam quam Tyri de ijs cognouit,

uit, quæ Hierosolymis aduersa ipsum manerent. Atque ita Cæsarea Hierosolyma ad ferias accessit, & ibi seditione ab Asiaticis Iudæis concitata (cum ad ritus Iudaicos sese de consilio episcopi Iacobi accommodando, cauere studuisset, ne illos offenderet (in periculum mortis venit, & ereptus à tribuno cohortis Romanæ, primum in vincula coniectus, & cædi loris iussus, mox tamen corpore inuiolato solutus, & insidias Iudaicæ coniurationis vitauit, & ad præsidem prouinciæ Claudium Felicem trium reginarum, vt Suetonius inquit, maritum, Pallantis fratrem, qui Cumano successerat, à tribuno missus est, circiter annum XXIII. ex quo apostolus IESV Christi factus fuerat. Quod tempus est vel desinentis principatus Cæsaris Claudij vel inchoati Neronis. De quarum rerum expositione, quæ extat in apostolica historia Lucæ, nonnihil dicendum putauimus. Fit autem ibi mentio Ananiæ summi Pontificis, qui cum iussisset pugnum in os Pauli impingi, vehemente dicto refutatus est. Quod quidem apostolus sic defendit, vt per ignorantiam personæ prolatum. Quæ scilicet ironia fuit grauiter repræhendentis peruersitatem & futilitatem Pontificis ita se gerentis, vt in ipso nulla dignitas autoritásue Pontifi-

cia appareret, cum esse eum honore & gradu Pontificem, nescire minime potuerit. Haud scio an hic Ananias sit, quem habuisse fratrem Esseciam Iosephus scripsit, & esse à seditiosis inter exordia belli Iudaici delitescentem ad Euripum regiæ domus depræhensum atq; interfectum. Id vero facinus designatum est circiter annum post illam plagam impactam Paulo duodecimũ. De Aegyptio autem cuius meminit apud Lucam tribunus, narrat Iosephus in historia antiquitatis Iudaicæ, magnam hunc, qui prophetam se perhiberet, multitudinem Iudæorum congregasse, & perduxisse ad montem oliueti, vnde conspecturi essent ruinam mœnium Hierosolymitanorum. Sed Felicem copijs equestribus & pedestribus immissis, interfectisq; quadringentis & ducentis captis, cæteros facile dissipasse, inter quos Aegyptius etiam ille elapsus sit. In captæ autem vrbis Hierosolymorum libro secundo, de eodem leguntur istiusmodi quædam: Maius vulnus infligendo læsit Iudæos Aegyptius quidam pseudopropheta. In eam regionem enim cum venisset homo præstigiator, fidemq́, inuenisset prophetæ, circiter triginta milia circumuentorum fraude collegit, ijsq; ex deserto, eductis in montem cognomento Oliuarum, inde præ

de præ ſe tulit irruptionem violentam in Hieroſolyma. Vbi præſidio Romano & populo oppreſſo ipſe deinde Tyrannicam poteſtatem exerceret, vtens ſatellitibus irruptionis ſocijs. Anteuertit autem impetum illius Felix, obuiam progreſſus cum legione Romana, populo defenſionem adiuuante vniuerſo. Prælio itaq; commiſſo Aegyptius cum paucis aufugit, plurimis, qui eum ſecuti fuerant, occiſis. Ex reliqua multitudine diſsipata ſuam quiſq; domum clam reuerſus eſt. Tribunus autem apud Lucam mentionem facit quattuor milium nominatim Sicariorum, quod fuit peculiaris ſceleris atq; latrocinij genus inſidians vitæ aliorum, & clanculum mortem offerens inimicis. De quibus Latino nomine ducto à ſica, vſi externi fuerunt. Gladios fuiſſe hos Ioſephus ſcripſit libro antiquitatis Iudaicæ x x. magnitudine æquales Perſicis Acinacis, ſed incuruis, quales ſunt, inquit, quæ à Romanis ſicæ appellantur. Sed ſeriem iam hiſtoriæ perſequamur. Felici ſucceſsit Portius Feſtus, cum biennio tunc Paulus in cuſtodia fuiſſet. Inclinante autem præſide ad partes aduerſarias Paulo apoſtolo Iudæorum, & Cæſarem apoſtolus appellauit, & ita Romam eſt miſſus vna cum alijs, deducente centurione cohortis Au-

gustæ Iulio. Venisse autem Romam secundum huius narrationis seriem oportet Paulum, Nerone iam post necatum vitricum summa rerum potito, annum vnum integrum, vt secundo anno imperij Neroniani iter illud confectum fuisse recte perhibeatur. Ibi tum in libera custodia fuit annis duobus,neque amplius quicquam Lucas de his rebus aut de Paulo apostolo scriptum reliquit. Onesimi quidem serui fuga à Domino Philemone, tum occasionem dedit breuis illius quidem sed præclaræ epistolæ perscriptæ ad Philemonem. Cum autem non dubium esse credatur, quin apostolus Paulus post biennium istud omni periculo liberatus & caussa dicta absolutus, & tandem vltimo anno regni Neroniani reuersus Romam, suppliciocp affectus fuerit, interiectis eum his decem medijs annis traditur, & iterum Syriæ Asiæcp & Græciæ ac Macedoniæ loca obijsse, & transijsse in Gallias ac Hispanias. Consensit autem in hoc etiam antiquitas, apostolos Petrum & Paulum vno eodemcp die diuersis supplicijs & locis occisos esse Romæ, & monumentum sancti Petri positum in Vaticano, Pauli apostoli via Ostiensi. Adiunxit autem Nero nefariæ impietati crudelitaticp suæ etiam sæuitiam in Christianos. Et in Christianos

fuisse

fuiſſe crimen illatum incendij vrbis Nerone autore, ſcripſit Tacitus hiſtoricus. Paulo autem apoſtolo factum infeſtiorem Neronem, Chryſoſtomus tradidit, ob pellicem quandam ipſius ad Chriſtianam religionem Pauli doctrina conuerſam. Alij Proculum quempiam à poculis Neroni, quem à morte præcipitio extinctum in vitam Paulus reſtituiſſet, cauſſam dediſſe narrauerunt, iracundiæ Neronis aduerſus Chriſtianos, & apoſtolum Paulum in primis tanquam caput illorum. Quod ſi coniecturis locus relinquitur, ſuſpicari aliquis haud temere, vt opinor, poſsit, Iudæorum odium Romæ necem attuliſſe apoſtolo, cuius vbique locorum & gentium vitæ inſidiati illi fuiſſent. Nam Nero Iudaicæ ſuperſtitioni iniquus non fuit, ac fauit potius, inducente eum ad hoc Poppæa Sabina coniuge, quam dilexit vnice, quamuis per iracundiam ictu calcis grauidam occiderit, quemadmodum ſcripſit Suetonius. Leguntur autem in Ioſepho hæc de quadam Iudaica ad Neronem legatione: Nero ipſis auditis, non modo veniam dedit ob id quod factum erat, ſed conceſsit quoque vt ædificatio illa remaneret, gratificans Poppææ, quæ religioſa eſſet, pro Iudæis deprecandi. Neque obſtare debet opinioni iſti, ante hoc tempus,

pus, quo apoſtolus Paulus interfectus ſit, Poppæam interijſſe, cum neq; quando hæc mortem obierit, conſtet, & Iudaica improbitas poſtea quoq; aulico fauore abuti potuerit. Apoſtolo Paulo obtrectauit impietas Ebioneorum impudente mendacio, vt Epiphanius retulit, quod non fuerit origine & genere Hebræus, ſed à Græcorum religione ad Iudaicam deſciuerit. Quæ conditio nomen habuit proſelytorum. Iidem maledicentes huic apoſtolo, contumelioſo nomine apoſtatæ eum appellarunt, quo transfuga ſignificatur. Id quod legitur in Euſebij hiſtoriæ libro tertio. Hoc videri leuius poteſt, cum ex ijs qui opibus & dignitate ſacerdotali cæteris præſtarent auditæ dudum voces ſint probrorum nefariæ hunc apoſtolum ſuperbam beluam appellantes. Quam quidem ille ſcriptorum ſuorum grauiſsima repræhenſione & damnatione iuſtiſs. veſanam audaciam vlciſcitur. Tales enim iſta ſcripta neque viuentes patiuntur animis eſſe tranquillis, & in mortuos teſtimonia dicunt atrociſsimi ſceleris ſempiterna. De epiſtolis quidem Pauli apoſtoli ad Senecam & viciſsim huius ad illum, vt commentum eſt non inuenuſtum, ſic non modo de ijs, quorum falſitatem redarguere conſideratio diligentiæ facile poteſt

teſt (in quo genere iſtarum epiſtolarum compoſitio reperitur) ſed quæ ſpeciem veritatis quoque habent illuſtriorem, confingi in hiſtoria Chriſtiana aliquid non videtur ſanctitati religionis noſtræ congruere, & quocunque conſilio fiat, non eſſe laudabile neque probandum. Fuit autem Græca natio in hanc partem procliuior. Quæ eadem in alijs quoq; humanæ calliditatis atque ſolertiæ quaſi fœtibus ſimplici & ſinceræ veritati cœleſtis doctrinæ veluti ſupponendis, inuenitur ingenioſior atque audacior. Itaque cultus ſimiles ceremoniarum gentilium, id eſt, vſurpatarum à fraudantibus verum D E V M ſuo honore, ſtudio quodam peruerſo ab illis introductos eſſe, & admiſſos ab alijs deinde depræhenditur. In quibus eſt imaginum veneratio & conſecratio. Quam defendentes ad adorationem inuocationemq; ſanctorum hominum iam poſt mortem ipſorum rem argumentando deduxerunt. Sanare nimirum conati malum malo. Fecimus autem ſupra quoq; ſuperſtitionis huius mentionem. De qua nomine Iohannis Damaſceni edita ea leguntur, quæ digna non ſunt vel doctrina vel pietate eius, quæ cæteris quibuſdam in ſcriptis illius conſpicitur. Etſi vitia temporum hunc quoque, vt ſemper ſuorum aliquos,

quasi contagione infecisse animaduertere licet, & hic de re prolabente ad superstitiones perniciosas disseruit quam alij plerique cum cautius tum doctius atque eruditius. Non volentem autem me istam mentionem refricare, commouit hac in parte id, quod illo in libello præferente Iohannis Damasceni nomen de imaginibus, ex descriptione vitæ Iohannis cognomento Chrysostomi legitur, incitauitque animum atque manum, vt quædam vltra priora denuo, de imaginum superstitioso honore his perscribendis exponeremus. Narratur enim, loco indicato, habuisse Iohannem Chrysostomum Pauli apostoli consecratam imaginem in suo conclaui, quam, vbi scribendi laborem explicans commentationibus suis epistolas illius intermitteret paulisper acquiescendo, intentis oculis contemplari soleret. Atque fuisse Proclum quempiam visum videre, cum Chrysostomo colloquentem virum simili facie eius, quæ pictura illa exprimeretur. In his sane nihil sit fide indignum, neque contrarium puræ doctrinæ Christianorum, quo tamen res abducatur animaduertendum est. Nam & adorationem imaginum his & similibus narrationibus confirmari studuerunt, & implorationem opis auxilijque, quæ à sanctis post vitam eorum

eorum in terris peteretur & expectaretur, ſtabilire ſunt conati. Chryſoſtomum, cuius extant commentationes explicantes Pauli epiſtolas copioſæ & præclaræ, non in imaginem pictam Pauli apoſtoli, ſed in illius viuentis pectus atque cor aſsidue intuitum eſſe, & inde ſententiam depromtam ipſius ſtudioſe explanaſſe credamus, & hoc colloquium fuiſſe ſanctorum piorumq; animorum. Cætera adiungere neſcio quid vtilitatis habeat, cum de bona exiſtimatione & autoris & ſcriptorum apud aliquos nonnihil detrahere poſſe videantur. Hæc igitur & iſtiuſmodi alia conquirere vel ſuperuacaneum ſit, vel etiam noceat. Itaq; ſunt aliqua iudicio vero Eccleſiaſtici conſenſus in hoc genere condemnata atq; reiecta. In quibus nominatur & Theclæ ad religionem Chriſtianam conuerſæ & Paulo præſente baptiſſatæ fabula. Elogia autem ſingularia & prædicationes eximiæ de Paulo paſsim in ſcriptis Chryſoſtomi aliorumq; extant, ſecundum quæ colamus nos memoriam viri & à IESV Chriſto mirabiliter ad munus apoſtolicum vocati, & in eo fideliſsime accuratiſsimeq; & ea patientia, fortitudine, cõſtantia verſati, vt cum principe apoſtolorum Petro hunc Eccleſiæ CHRISTI honorifica memoria merito coniunxerit, & cuius ſcri-

ius ſcriptis DEO æterno placuerit, ita muniri Eccleſiæ filij ſui DOMINI noſtri IESV Chriſti doctrinam, vt aduerſus omnem impetum hoſtilem facile tuta eſſet. Atq; ſunt hæ reliquiæ illius debito honore colendæ, non aliæ vel commentitiæ vel inanes certe. Sicut S. Petri ſcripta, non gladius, quo auriculam Malchi hic abſcidit, multo minus argentea ſimulacra clauium referentia claues illi commiſſas regni cœlorum, quorum mentionem facit Theodorus quidam præfectus conuentui qui nomen habuit Studij. Vixit autem hic apoſtolus id quod veriſimile eſt & expoſitis conſequens, non pauciores ac plures fortaſſe annos, annis LX. Ex quibus XXXVII. magnam partem orbis terrarum peragrando & præconium faciendo de regno DEI, & docendo prædicandoque Euangelium IESV CHRISTI conſumſit.

BARNABAS.

BARNABAE cognomentum fuiſſe Ioſæ, ſcribit Lucas in apoſtolica hiſtoria, & interpretatur filium conſolationis. Itemq; habuiſſe patriam eum Cyprum, conditione Leuitam. Hic cum apoſtolis initio ſtatim præconij ſe coniunxit communicando facultates

cultates ſuas. Atq; poſtea Pauli apoſtoli fidelis & aſsiduus comes fuit, donec diſceſſio facta eſt, ob Iohannem cognomento Marcum fratrem vel patruelem vel conſobrinum Barnabæ. Vterque enim Græcis ἀνεψιὸς eſt. De hoc autem diſsidio ſupra diſputauimus. Extat ſane narratio de Barnaba tanquam è græco ſcripto conuerſa Marci conſobrini Barnabæ. Sed non eſt ea conſentanea neq; ijs quæ in hiſtoria Lucæ apoſtolica leguntur, neq; commentationibus Græcorum. Hæ enim Marcum hunc & ſcriptorem Euangelij eundem faciunt, & Lucas habuiſſe eum matrem Mariam nomine Hieroſolymis ait, cum illa narratio alterius gentis perhibeat, & Iconij operam dediſſe Iouis ſacerdoti cuidam. Cuius autor quaſi remouere voluiſſe ſuſpiciones videtur inimicitiarum inter Paulum & Barnabam, quos ſeparatos fuiſſe diſſentientes Lucas ſcripſiſſet. Quibus excogitationibus nihil fuit opus. Nam pietatis religioſæ conſideratio & hæc & hiſsimilia facile explicat. Neq; enim diſſenſio illa quamuis vehemens iracundiæ etiam atq; odij acerbitatem habuit, & manare potuit, quemadmodum inter tales viros manſiſſe credendum eſt, diſſoluto etiam vſu conſuetudinis familiaris, animorum tamen & ſententiarum coniunctio.

ctio. Neque fuisse prorsus alienatum Paulum apostolum à Marco, indicat facta huius mentio in epistola ad Timotheum, scripta Romæ quocunque sane tempore, diu certe post illam Pauli & Barnabæ de Marco contentionem. Siquidem idem iste Marcus & vnus est, nimirum qui Iohannes appellaretur, & esset frater siue patruelis siue consobrinus Barnabæ & Euangelista. Quapropter narrationis istius autoritas ac fides omnino infirma est & leuis. Illud igitur quod certum est de hoc apostolo, teneatur: præclaram & vtilem operam eum in præconium Euangelij contulisse. Quod ex historia apostolica Lucæ plane cognosci potest & debet. Cum autem obseruassent pij in Ecclesia CHRISTI doctores maximam caritatem & fidelitatem summam studiumque eximiæ necessitudinis inter Paulum & Barnabam tantopere celebrari, vt Græci de singularis atque raræ amicitiæ consilio opeque Thesea, sic illi pia mentione Barnabam nominarunt. Ita enim Nassiansenus de se & Basilio in Epitaphio: εἰ δέ τι καὶ βαρνάβας ὁ ταῦτα λέγων καὶ γράφων παύλῳ συνηγωνίσατο παύλῳ χάρις τῷ προελομένῳ καὶ συνεργὸν ποιησαμένῳ τοῦ ἀγωνίσματος. Se enim hic Barnabam & Basilium quasi Paulum ista orationis figura, tanquam Thesea Herculi, secundum Græcorum

rum fabulas, adiunctum introducit. De exitu Barnabæ ex hac vita (quam græci τελείωσιν vocarunt, conſummatum quoddam & perfectum opus) credamus id patratum eſſe, quod traditur, nimirum crudeliter eum à Iudæis in Cypro inſula Salamine necatum fuiſſe. Credamus & Magum Iudæum Barieſum incitaſſe Iudæos ad hoc facinus. Fuit alterum nomen huius Magi Elymas, vt in apoſtolica Lucæ hiſtoria legitur. Atq; hunc & recepiſſe viſum & veritatis tamen poſtea doctrinam non amplexum Apoſtolorumq; aduerſarium fuiſſe, ex eo etiam apparet, quod ab autore libelli de diuinis nominibus narratur: Paulo apoſtolo obtrectaſſe eum, qui ſcripſiſſet: Deum eſſe fidelem, neque poſſe αὐτὸν ἀρνήσασθαι. Id quod legitur in poſteriore ad Timotheum epiſtola ſcripta Romæ. Quomodo enim, inquit Elymas, aliquid non poteſt Deus? ſi eſt παντοδυνάμος. Sed nugatoriæ tales argumentationes ne puerilem quidem iam doctrinam fallunt. Combuſtum eſſe corpus Barnabæ, diſſentit ab aliorum narrationibus, quæ perhibent, Zenonis imperatoris temporibus repertas eſſe Barnabæ comitis & ſocij peregrinationum Paulinarum, id eſt, συνεκδήμου παύλου ἀποστόλου, reliquias in Cypro inſula, libro Euangelij, quod Mat-

thæus

thæus conſcripſiſſet, in pectore impoſito, cuius tabellæ eſſent Thyinæ. In ijs quæ extant fragmenta hiſtoriæ Theodori cuiuſdam, legitur ſub ceraſo reliquias illas iacuiſſe, & ſcriptum Euangelij fuiſſe manu Barnabæ exaratum, & id Zenonem in palatio conſecraſſe. Sed nos hoc loco noſtræ expoſitioni & inſtituto opoſculo finem imponamus. In quo fidem diligentiamq; nos præſtitiſſe, & ſtudium curamq; adhibuiſſe, affirmare poſſumus. De elaborationis autem induſtria & opera nauata, aliorum ſcilicet iudicium erit. Opto autem ex animo noſtra hæc aliorum ſcriptis obſcurari & obliterari. Ita enim certe & meliora & luculentiora proferentur.

οἱ δώδεκα

οἱ δώδεκα ἀπόστολοι χριστοῦ ἰησοῦ ἐμμέτρως, τοῦ θεολόγου.

δώδεκα δ᾽ αὖ χριστοῖο θεοῦ μεγάλοιο μαθηταί,
πέτρος τ᾽ ἀνδρείας τε, ἰωάννης, ἰακωβός,
πέμπτος δ᾽ ἦε φίλιππος, ὁ δ᾽ ἕκτος βαρθολομαῖος,
ματθαῖος, θωμᾶς τε, καὶ ἀλφαίου ἰακωβός,
ἰουδᾶς τ᾽ αὖ, σίμων τὲ καὶ οὐ φατὸς ἄλλος ἰουδᾶς.

οἱ εὐαγγελισταὶ τέσσαρες ὄντες Ιωαχείμου.

τέσσαρες ἔγγραπτον χριστοῦ παρέδωκαν ἰησοῦ
ἱστορίην βίβλους ἐκκλησίῃ ὧν ἐδέδικτο,
ματθαῖος, μάρκος, λουκᾶς, ἐπὶ τοῖς τ᾽ ἰωάννης.
τεύχεα δ᾽ ἄλλων ἐστὶ ἀπόκρυφα καὶ νόθα πάντων.

Conuersi ijdem versus Græci in Latinos. Apostoli XII.

Bis sunt Christe tui Deus optime maxime, seni
Discipuli in mundũ hunc Regni ad pconia missi:
Petrusq; Andreasq; cum Iohanne atq; Iacobus,
Quintus erasq; Philippe & sextus Bartholomæe,
Matthæus, Thomas, Alphæi deinde Iacobus,
Iudas & Simon, alterq; nefandus Iudas.

Euangelistæ quatuor.

O Christe

CHRISTE duo historiam scripsere tuã bis Iesu
Quorum etiam libros Ecclesia sancta recepit:
Matthæus, Marcus, Lucas & deinde Ioannes.
Alterũ opus falsum quoduis & adulterũ habeto.

τῶν τοῦ χριστοῦ ἑβδομήκοντα μαθητῶν ὀνόματα
κατὰ νικήφορόν τινα ξανθόπουλον.

τοὺς δ' ἑβδομήκοντ' αὖ μαθητὰς κυρίου
ὀνομαστὶ χριστοῦ καὶ λόγου μυστηπόλους,
ὡς ἡ παράδοσίς φησιν, οὕτω μάνθανε.
τούτων μὲν οὖν πρωτεύει ἰάκωβος θεοῦ
λόγου φατιζόμενος ἀδελφὸς, τῷδε δὲ
ἕπεται κλεωπᾶς εἶτα ματθίας τρίτος.
μεθ' ὃν θαδαῖος καὶ θεόφρων ἀνανίας,
στέφανός τε πλήρης πνεύματος ἁγίου θεοῦ.
φίλιππος, ἠδὲ πρόχορος ἅμα νικάνορι,
τίμωντε παρμενᾶς τε νικόλεως θ' ἅμα,
οἱ πρῶτοι ἐκλεχθέντες ἑπτὰ διάκονοι.
τοῖσδε συναριθμεῖται σίλας καὶ βαρνάβας,
καὶ συγγραφοῖς μάρκος τε καὶ λουκᾶς δύο
ἐκ τεσσάρων εὐαγγελιστῶν. τοῖσδ' ἔπι
σιλουανὸς ἔστ' ἐπαίνετος τ' ἔχων κλέος
τοῦδ', εἶτα κρίσκης, αὐτὰρ εἰκοστὸν φαθὶ
τὸν ἀνδρόνικον, ὅγε προσθεὶς ἀμπλίαν
σώματον οὐρβανὸν, μετά τ' ἀπελλοῦ στάχυν,
ἠδ' αὖ φύγελλον ἅμ' ἑρμογένει, καὶ πάλιν
ἕτερον ἀπελλῆν ἠδὲ δημᾶν, εἶτα δὲ

ἀριστό-

ἀριστόβουλον ἠδὲ νάρκισσον καθ' ὃν
πληροῦτ' ἀριθμοῦ τουτοῦ τρίτη δέκας.
ἡρωδίων δὲ τάσσεται τούτους μέτα,
ἑξῆς δ' ἄγαβος, ῥοῦφος, ἠδ' ἀσύγκριτος,
ἑρμῆς, φλέγων, ἑρμᾶς τε καὶ σὺ πατρόβα,
καὶ σὺ λίνε, καὶ σὺ γάϊε τεσσαρακοντάδα
χριστοῦ τελείων ἀκροατῶν συλλόγου.
μετὰ τοῦτον ἔγκειθ' ὁ φιλόλογος, ἔπειτα δέ
ῥοδίων, ὀλυμπᾶς, ἠδὲ λουκᾶς, εἶτα δ' αὖ
ὁ σωσίπατρος, ὁ τέρτιος σὺν ἰάσονι
κουαρτῷ τ' ἐράστῳ τ' ἠδ' ἀπολλῷ τοῦ σίφους
τοῦδ' ἀγλαιὼ κλείοντι πεντηκοντάδα.
τούτου δὲ κηφᾶς τίστε σωσθένης θ' ἅμα
καὶ καῖσαρ ἔχεται καὶ τύχικος, ἔπειτα δέ
μάρκος πρὸς αἵματος ὃς ἐγένετο βαρνάβᾳ,
ἰοῦστος, ἐπαφρόδιτος, ἀρτεμᾶς τε, καὶ
κλήμης ὃν ἠρίθμουν τὲ δέκατον ἑξάκις,
ὀνησίφορος, ἕτερός τε τύχικος, ὃν μέτα
καταλέγεται κάρπος, μετὰ δὲ τόνδ' εὔοδος,
καὶ τῷδ' ἀρίσταρχος ἔπι, καὶ μάρκος τρίτος,
ζηνᾶς, φιλήμων, εἶτ' ἀρίσταρχος πάλιν.
πούδης τε, καὶ τὸν ἑβδομηκοστὸν φέρων
ἀριθμῶν ὁ τρόφιμος ἐπὶ πᾶσιν εὑρέθη.
χ' οὕτω μὲν ἐξέθηκε τάδε τὰ ὀνόματα
νικήφορός τις ξανθόπουλος ὅστις ὢν
γράψας στίχους ἀμέτρους ἑξασυλλάβους,
οὔτε ποσὶν οὔτε δὴ χρόνοις ἡρμοσμένους,
οὕσπερ διορθώσαντες ἡμεῖς ὧδέ πως,
ἃ κεῖνος εἴρηκ' ὀνόματ' ἐξεδώκαμεν.

ἄλλοι δέ τ᾽ ἄλλως καὶ διαφερόντως πολὺ
τοῖς ὀνόμασίν τε τῇ τε τάξει τὸν χορόν.
τοῦτον συνεστήσαντο συγκροτούμενον
τὸν ἑβδομηκοντάπολον ἀμφὶ διδάσκαλον
θείας ἀληθείας λόγον θεοῦ θεόν
χριστόν τ᾽ ἄνακτα καὶ γένους βροτησίου
σωτῆρ᾽ ἰησοῦν υἱὸν ἀιδίου θεοῦ
μήτηρ ὃν ἐν γῇ τέτοκεν ἀειπαρθένος.
ἀλλ᾽, εὐσεβείας οὐ γὰρ ἐν τοίοις δ᾽ ἔνι
τῆς θεοφίλου κῦρος, τάδ᾽ ἔσω καθάπερ ἦν
ἔχοντ᾽ ἄριστ᾽ αὖ, κἀκολουθείτω νέμων
τοῖσδ᾽ ἐστι πλεῖον ἢ ᾽κείνοις ὡς δοκεῖ.
βλάβος γὰρ οὐδὲν πίστεως τάδ᾽ ἀγνοεῖν
ἣν θεόφραστος συντίθησι μόνην λόγος
τὰ δ᾽ ἄλλα τοιουτότροπα τῶν προσθημάτων
ἔχουσι γνῶσιν οὐκ ἀναγκαίαν πάνυ
ἀλλ᾽ ἱστοριῶν πραγματείαν εὐλαβῆ,
σπουδὴν ἐλευθέροιό τ᾽ ἐπιτηδεύματος.
ὁ δ᾽ ἐκ πατρὸς κόλποιο προενέγκας θεοῦ
υἱὸς συναΐδιος ἀληθείας λόγον
ἄκτιστος αὐτὸς ὢν θεοῦ θεὸς λόγος,
ψευδῆ τ᾽ ἀφ᾽ ἔθεν ἐκκλησίης ἀμυνέτω
διὰ πνεύματος ἁγίου διδάξας πάντοτε
τὴν ἀτρεκείην ψυχικῆς σωτηρίας,
καὶ ἧς μόνης ἀρέσκετ᾽ ἀψευδὴς θεός.
ᾧ δόξ᾽ ἐς αἰώνων χρόνους αἰωνίους
ἑνὶ καὶ μόνῳ κἀληθινῷ καὶ παγκρατεῖ,
χριστῷ, δικαίῳ καὶ φιλανθρώπῳ θεῷ,
πατρὶ ξὺν υἱεῖ ἁγίῳ τε πνεύματι.

HISTORIA DE CHRISTI IESV AD MORTEM PRO GENERE HVMANO ACCESſione, dierum ante Paſcha ſex, & alia indicata tempora, reſque præterea quædam narratæ, oratione quam recitatione ſolenni pronunciauit

M. MARTINVS Gaſſarus Plauenſis.

Inſtituto Communitatis ſtudij bonarum artium in Acad. Lipſica 4. Id. April. Anno Chriſti Ieſu

M. D. LXIII.

ORATIO.

Cum & me & alijs (libet enim confiteri culpam) cessantibus, in ijs, ad quæ, cum iam præmiolis etiam inuitemur, exercenda vltro incumbere vnumquenq; par erat: Mecum egisset ille, qui adhuc caput est communitatis studij bonarum artium, vt ego aliquid non indignum cognitione liberali compositum, publice recitarem hoc tempore, & quod ordinatione studiorum constitueretur, vt disputationibus publicis, interdum alicuius materiæ quasi declamatio interponeretur, in eo seruando operam darem, & publicæ autoritatis & communis vtilitatis, & ipsius quoq; qui hoc peteret, honoris caussa: Sane pudebat expectasse me, dum admonerer officij mei, in eo quod & honestum esset, & expediret. Itaque veluti ad secundum quendam cursum incitaui voluntatem meam, vt quod velis non essem assecutus, id remis conarer petendo obtinere, Sumque cupidissime obsecutus roganti benigne, ei qui pro suo iure prorsus iubere poterat, & nunc, quemadmodum videtis, prodij, vt pronunciarem quædam, cum huic tempori apta, tum per se cognitu neq; iniucunda, &, si quis perpendere velit, necessaria, ad exploratam & distinctam expositionem rerum maximarum, quarum his diebus celebratur memoria: Ea est historia, vt scitis, filij Dei patris æterni λόγου συναϊδίου, nati in terris hominis

matre virgine, à suis ciuibus comprehensi, & ludibrio habiti, & traditi in cruciatus & mortem. Qui tamen eam cum obijsset, deposito in sepulcrum exanimo corpore, tertia die resurrexit viuus, & ita peruenit ad gloriam regni sempiterni, quam habet perpetuo communem cum æterno patre in sancti Spiritus cõmunione: Rex & Dominus noster Iesus Christus. Huius igitur, ad exequendum munus & opus absoluendum, quod ipse in se receperat, & ad quod se obtulerat, generis humani scelere peccati sui in interitum prolapsi, salutem & vitam ab initio deprecans à iusticia diuina, & sua intercessione clementiæ benignitatem illi concilians: Eius inquam huc proximam processionem nunc rectissime me esse enarraturum duxi. Est autem vtile & præclarum Ecclesiæ Christi Iesu, qui est cœtus eximius venerantium pietate & religione vera Deum æternũ ratione demonstrata ab ipso: huius igitur communitatis diuinæ in terris institutum est & fructuosum & laudabile, vt memoria statis diebus celebretur earum rerum, quas res geri perficique oportuit consilio atq; decreto DEI, ad declarandam sententiam voluntatemq; ipsius, & veritatis cœlestis noticiam aperiendam hominibus, & constituendam quasi ciuitatem cœlestem in hoc mundo populi peculiaris & electi ad beatam hæreditatem vitæ sempiternæ. Quid deceat enim magis talem congregationem quam recordando ingentia

gentia beneficia diuinæ clementiæ et benignitatis, prædicare gloriose de autore illorum? Cognitio autem historiæ omnino necessaria est, quia ignotis assentiri fidemq; habere potest nemo. Cum autem veritatis cœlestis doctrina Dei ipsius sermone patefacta salutis & incolumitatis perpetuæ copiam polliceatur, reconciliata gratia inter Deum æternum & genus humanum, interprete & deprecatore filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, cuius hoc est bonum lætumque nuncium, & ideo εὐαγγέλιον græco nomine vocatum: Cumque hæc doctrina iusticiam profiteatur, quæ acquiratur fide, id est, assensione stabili atque firma credentibus, vnde & iusticia fidei appellatur: Quid credi & cui credi oporteat ante omnia est tenendum. Habet autem hæc fides propositum solum filium Dei factum hominem, qui est Iesus Christus, qua placuit Deo æterno ex iniustis iustos fieri, & renasci homines ad communionem regni cœlestis, eamq; ob caussam soli huic efficacitas iusticiæ recte tribuitur, & ipsa requirit certe eam fidem, quæ debetur historiæ de hoc Filio liberatore, redemtore, autore salutis & vitæ. Atque haud scio an hæc in parte vera assensio, vnde non modo dubitatio sed simulatio omnis absit, illam alteram vel semper vel quam sæpissime complectatur. Hoc enim non fit in multis, nisi penitus obstinata voluntate desperatis, vt Diabolis. Historiæ igitur omnes de filio Dei Domino nostro Iesu Christo studiose sunt

cognoſcendæ, vt certa fidei fundamenta iaciantur, & opus extruatur magnificum. Neque temere hoc dictum exiſtimandum: Scientia ſui iuſtificabit ipſe ſeruus meus iuſtus multos. Placuit autem DEO *rerum iſtarum omnem humanæ intelligentiæ captum ſuperantium expoſitionem eſſe ſimplicem & non elaboratam induſtria ac ſtudio hominum vt veritas æterna neque callida & fuci omnis experte oratione explicaretur, & hoc firmum: Non eſt regnum* DEI *in ſermone, ſed ἐν δυνάμει, & fides maneret religioſa aſſenſio, haberetque hæc doctrina magiſtrum Spiritum ſanctū. Quæ igitur in Eccleſia Chriſti proponuntur, cum fidem audientium requirant, diſerte tantummodo & ſecundum ſacrarum literarum præſcriptum conſentanea ratione enarranda ſunt, vt intelligentes ea in reliqua cognitione explicationem veritatis, quod eſt opus Spiritus ſancti, ſequantur. Quia autem hoc tempus eſt feriarum, quibus repetitur memoria rerum complectentium, vt paulò ante diximus, abſolutum redemtionis & liberationis generis humani opus, ſecundum propoſitum & decretum æternum miſericordis & propitij* DEI: *Ea quæ tunc geſta eſſe diebus potiſſimum continuis ſex, quorum mentionem fecit Iohannes Euangeliſta, alijs etiam temporibus quibuſdam indicatis, breui cōmmemoratione, pro eo atque tempus feret, ſumus expoſituri. Mihiq; vt de his rebus ad religioſam pietatem pertinentibus,*

tibus, & à studio liberalis cognitionis nequaquam alienis, verba facienti, Generose Domine, præstantissimi, ornatiss. opt. & doctiss. viri, vosque adolescentes bonarum artium studiosi, operam benigne & libenter dare velitis, cum reuerentia & officiose peto. QVANQVAM *autem de temporibus atq; diebus anxiæ & solicitæ quæstiones, magis vanam curiositatem, quam necessariam diligentiam habere videantur, cum alibi tum vel maxime in doctrina Ecclesiæ, qua sola religiosam pietatem, & rerum diuinarum veritatem explicari, nos certo scimus: Temporũ tamen dierumq; series & distinctio, non illa quidem ostentationem ingenij aut singularis rationis præ se ferens, sed in simplici rerum gestarum dispositione, vt harum euidentior sit expositio, studium industriamq; omnem adhibens, non solum non improbanda, sed magnopere laudanda atq; prædicanda est. Nam aut non indicatis prorsus temporibus, aut indicatis confuse, quis non videt, quantis tenebris omnia, quæ cõmemorantur obrui necesse sit? Quod si falsa aut dissentanêa prodantur, iam fides labascere, infirmariq; incipit de re vniuersa. Etsi autem multæ sunt caussæ, propter quas exquisita temporum momenta peruestigari demonstrarique posse desperandum sit, & antiquissimis etiam temporibus suspectas fuisse descriptiones & definitiones temporum, (πραγματείας καὶ πίνακας χρονικὰς, & χρονικοὺς κανόνας Græci vocant, tabulas*

tabulas quasdam notatorum temporum, cuiusmodi Eratosthenem edidisse traditur.) Tales igitur designationes etiam comperimus olim adeo alicubi non cohærere visum esse attentis & doctis: Quæ quidem, quanquam ita se habent, non tamen huius rei cura penitus omitti, neq; à desperatione quasi ad perpendiculum directæ veritatis, in negligentiæ detortam prauitatem ruendo incidere aliquis debet, cum in medio sit parabilis copia, qua recte vti possimus, & cui animaduersionem & diligentiam studij impendi coueniat. Quod igitur collectum de autorum probatorum scriptis, consentaneum in hoc genere esse reperietur, id iam certum & firmum omni remota dubitatione tenendum est, neq; inculcatione vllius callidæ ratiocinationis labefactandum. Idque non modo in hac parte, sed vbique & semper verum est. Si enim à consensione autoritatis & doctrinæ discedatur, fit vt aberrando inter rixas atq; certamina, ad absurdissimas opiniones efferantur ingenia parum quieta & animi arrogantes. Collecta autem illa esse oportet non somniculose neq; oscitanter, sed maxima assiduitate studij, & nonnullo ingenij acumine, vt ad hoc & diligentia summa, & non vulgaris solertia requiratur. Sed ista hactenus prænarrata satis sit. Atq; nunc deinceps id quod institui⁹ esse persequamur. PRIMVM igitur est in historiæ quorumcunque negociorum & earum rerum quas dilucide & plane exponi volumus,

volumus, vel ita saltem, vt vera memorari, non narrari fabulæ putentur. In talis igitur historiæ explicatione primum eſt Annorum, ſecundum Menſium & dierum conſideratio. Cum autem propoſitum ſit, de ijs quædam referre, quæ proxime anteceſſerunt abſolutionem operis illius in terris, quo redemtio & liberatio & ſaluatio humani generis perfecta fuit, ſua ſponte accedente autore illius Ieſu Chriſto ea loca, vbi ſciebat ſibi prodito correptoq; à ſuis, atrociſſimam per ſummos cruciatus mortem eſſe obeundam: Tempus anni & menſis conſtituendum eſt, quo dierum enumeratio expeditius progrediatur. Non ſolum vero multum adiumenti ad hoc affert, ſed in exquirendo & decernendo omnem difficultatem tollit, Cæſaris Octauiani nauata opera in ſpacio anni determinando, & conſequentia menſium dierumque ordinanda. Nam inde iam ſeries omnis ſine impedimento procedit, neq; quicquam quaſi obſtruit iter planæ conſiderationis. Conſtat autem Cæſari Octauiano, qui cognomen habet Auguſti, ſucceſſiſſe Tiberium Neronem priuignum ipſius, Liuiæ filium, ad quem numerant annos à mundo creato & condito, qui accuratiſſime ſecuti Hebraicorum librorum expoſitionem, collegiſſe putantur, (diſcrepans enim indicium eſt in medio) ter mille, noningentos, ſeptuaginta ſeptem. Huius autem imperantis populo Romano, & potientis rerum ſumma annus decimus quintus, cõgruit

cum

tum tricesimo anno ætatis IESV Christi. Ait enim Euangelista Lucas: Anno principatus Tiberij Cæsaris decimoquinto, præside in Iudæa Pontio Pilato, Tetrarcha Galilææ Herode, & fratre ipsius tetrarcha Ituræa, & regionis Trachonitidos, & tetrarcha Lysania Abilenes, summo pontifice Anna & Caipha, voce æterni DEI Iohannem filium Zachariæ, esse iussum præconium vbique facere in regionibus circum Iordanem baptismatos pœnitentiæ, ad remissionem peccatorum. Et tum IESVM quoq; ad eum venisse, et esse baptissatum, annum agentem aut modo egressum tricesimum. Hoc factum esse persuasum est congregationi vniuersæ Christianorum, quæ est Ecclesia catholica, circiter diem nonarum mensis Ianuarij. De quo cur aliorum argutias curemus caussa non est. IESVM autem baptissatum à Iohanne in Iordane, consensu publico receptum est, & de expositione Euangelicæ historiæ manifestum fit, toto fere triennio declarasse doctrina & factis mirabilibus, quod esset Messias, quem Græci CHRISTVM interpretantur, id est, promissus à DEO liberator & saluator populi sui. Ita cruciatus & se indignissimum perpetientis, generi humano salvificum supplicium, & gloriosa in æternam & immortalem vitam resurrectio IESV Christi, habet annum decimumoctauum Tiberij Cæsaris, quem antiquissimi scriptores Ecclesiastici indicarunt, & consensio fidelis retinuit. Neq; audiendi

diendi sunt vllorum artificiosæ, aut sagaces commentationes hanc conuellentes. Tiberio itaque Cæsare regiam quandam dominationem imperij & principatus legitimi nomine Romæ obtinente annum decimumoctauum, cum Antipa tetrarcha iam esset annis viginti vno: quando Pontius Pilatus septem ferme annis præses fuerat, (vniuersi enim anni præturæ huius sunt secundum Iosephum decem) contumacia & odium populi Iudaici & in hoc principum, quod diu meditatum conatumq; fuerat, id tandem effecit, vt ciuis ipsorum, sanguis regius & Dauidica posteritas, peculiaris eorum liberator & salutis autor atque largitor, excruciatus immaniter mortis crudelissimo & execrando supplicio afficeretur. Hoc facinus patratum est, istius anni, qui erit ætatis Iesu tricesimus tertius, completusue an nondum etiam, in medio relinquo, Mense eo, qui Iudæis primus est, vernus ille quidem, nomine ipsorum Nissan, quo & Pascha eos celebrare solenni ritu lex iubebat. Proditus autem fuit Iesus à Iuda Iscariota, magister à discipulo, quem secum familiariter habuerat, & cui non postremi muneris functionem mandarat, & comprehensus extra vrbem Hierosolymorum in horto inter ardentes & anxias preces, cum ipse secum luctans atq; animo decertans, cruentis guttis madefieret in solum defluentibus. Hic mensis ad mensem Romanorum Martium congruit. Dies autem ille fuit

inclinatus ad vesperam, quo IESVS cum discipulis cœnatus festum illum diem Paschatos egerat. Sed prius quam ad cætera pergam, quæ ab hominibus studiosis literarum sacrarum & lectioni illarum intentis obseruata accepimus, edisseram. Hi igitur animaduertentes ter tantum in Euangelica historia mentionem fieri ætatis IESV, nimirum cum haberet annum secundum, (bimum enim in Aegyptum abductum puerum IESVM inde colligunt, quod binos & minores pueros iussisse Herodem interfici legatur in Matthæo, secundum tempus, quod exquirendo à Magis cognouisset) & cum duodecimum, & cum tricesimũ: suspicando aliquid in his mentionibus abscondi dignum consideratione maiore, & quod de futuris euentis vaticinaretur, ita cœperunt ea spacia annorum ad istos numeros attribuere, quæ hebdomatica Hebræis appellantur, hebdomade vna circiter annum vnum signante, quibus spacijs Iubileos, secundum diuinam ordinationem, confectos fuisse scimus. Atque hoc modo vnius anni nobis notæ & consuetæ rationis indicium erit annorum plus minus quinquaginta, secundum quæ, ex duorum annorum mentione, fecerunt illi annos nobis vsitatos centum. Centum autem annis post IESVM natum & declaratum Christum, de historiarum expositione intellexerunt, turbas perniciosas esse datas in re Ecclesiastica, & in ea, quæ eatenus satis quieta & concordiam tutata esset,

factionum

factionum sectarumq; dissidia extitisse, Ebionis & Cerinthi mendacia pluribus amplectentibus, & audacius spargentibus. Quinetiam simplex quorundam assensio, doctrinamq; aliorum reconditam & arcanam minus perpendentium, introduxit illud dogma, de mille annorum regno Christianorum in terris, vrbe Hierosolymorum instaurata & amplificata, ante resurrectionem à morte omnium, & iudicij vltimi sententiam. Quod sanctissimi etiam & doctissimi viri non pauci approbarunt, de quibus Iustinum gloriosum martyrem, & laudatissimum Episcopum Irenæum nominasse, in præsentia satis habuimus. Cædibus etiam & tormentis impietatis sæuitia tunc crudeliter grassata est in Christianos, & indies deinceps procedente tempore sincera integritas doctrinæ cœlestis magis atq; magis labefactata fuit. Sed secundum rationem illam hebdomaticorum annorum, duodecim indicarent sescentos, quibus post factum hominem in terris filium Dei, ex illa horribili tempestate antichristi dogmatis, cuius autor & disseminator fuit Mahometa Sarracenus, quantam Ecclesiastica res calamitatem accepit? Quantum erroris, falsitatis, peruersitatis, deniq; infelicitatis & miseriæ, vbique doctrinam veritatis cœlestis, & sinceram venerationem Dei æterni inuasit? Quæ longo sane tempore mala cumulata sic creuerunt, vt iam Scythica barbaria maximæ orbis terrarum partis imperio potiatur, & ludibria

superstitionum per Dei æterni & hominum contemtum cumulata iamdudum fœdas ruinas & labes faciant. Neglecto autem studio veritatis cœlestis & nitente contumacia aduersus iustissimas reprehensiones, & ad stabilienda ea, quæ neq; re neq; specie magis cohærent atq; fundantur, arma quoq; expediente, quo peruentum sit, ante oculos est, & nostra ætas experiri cœpit. Nam ista, vt metuendum est, quamuis grauia atq; tristia, quæ aliquot iam annis acciderunt, initium quoddam sunt ærumnarum, quas illam hebdomaticam rationem portendere de prioribus conijcere licet. Cum triginta anni secundum hanc porrigantur ad annos mille quingentos. Reliquum autem tempus pertinet scilicet ad Iesu Christi aduentum, pijs optatum atq; lætum, impijs horribilem & fugiendum. Cuius numerus, quo notetur aut præ significetur, nullus extat, vt impendere illud existimari possit ac debeat. Sed de his plus verborum modo faciendum non est. Redeat igitur eo, vnde discessit oratio. In cuius anni quem mensem ex scriptis sacris, & probatorum autorum, incidere tempus salutare generi humano, cruciatuum, mortis et ad æternam vitam resurrectionis Iesu Christi, demonstretur, est à nobis ostensum. Nam decimus octauus annus principis Tiberij, mundi, secundum supra indicatum à nobis tempus, erit ter millesimus noningentesimus nonagesimus quintus. Ab vrbe condita, septingentesimus octuagesimus quartus.

Mensis

Mensis autem, quo Paschatos festum diem Iudæos celebrare oportuisse scimus, vernus fuit, quadrans ad Martium Romanorum. Ante eum igitur diem, quo Iesus Christus illam ijs ferijs vltimam in terra cœnam cum discipulis suis est cœnatus, die sexto Iohannes Euangelista Betaniam eum venisse scripsit, & ibi conuiuio acceptum esse. Hunc, vt opinor, recte ponemus fuisse Mensis Iudaici diem nonum, & Romani decimumnonum, ante decimumquartum Calendas Aprilis. Iubebantur enim lege Mosaica Iudæi decimo die Mensis Nissan agnum eligere, qui mactaretur ferijs paschalibus. Atq; tunc præparationem illarum ordiri eos cœpisse, & victitasse lautius credibile est. Quando & Betaniæ conuiuium celebratum fuit, die primo hebdomados Iudaicæ, id est, sabbato, Christianæ septimo. Veniebat autem singulis dieb. in templum Hierosolymitanum I E S V S, *& ibi aliquanto magis assidue & maiore frequentia docebat. Quid autem factum his diebus, & quæ illorum consequentia sit, sic deinceps, id quod propositum est, exequentes, explicabimus, vt accurata consideratio, & non contemnendum studium diligentiæ adhibitum esse appareat. Quod si quis aliter hæc putauerit designanda, in eo sententia ipsius abundet, iudicium quidem æquum est, esse penes veritatis & pietatis amantes. Postero igitur die, intrauit Hierosolyma* I E S V S *cum veheretur asina. Primo illo Christianæ hebdomados,*

quem dominicum Ecclesiasticus sermo nominat, & Iudaicæ secundo, cum iam vnguenti effusio ad proditione sarciendum damnum Iudæ auarum & infidelem animum commouisset. Cum autem Iesus singulis illis diebus sex Bethaniam Hierosolymis reuerteretur, & ad montem, cui ab oliuis cognomen impositum esset, veluti lateret. (Nam illic vicum Bethaniæ fuisse perhibetur, distantem Hierosolymis passuum millibus duobus.) Neq; apud eosdem eum semper conuiuam, & vnguentum non semel profusum fuisse credi possit, cum Matthæus et Marcus duobus diebus, id de vnguento, quod diximus, memorent accidisse in domo Simonis ante Paschatos ferias, quæ ἀζύμων nomiue indicabantur, quod pane sine fermento tunc vesci illos oporteret. Simonem autem illum vocat historia leprosum, liberatum aliquando, vt perhibetur, fœditate morbi istius à Iesu. Neq; defuerunt, qui illum fuisse patrem Lassari traderent, ita habuisset hic filias vel certe priuignas Martham & Mariam. Sed in his perquirendis tempus terendũ non est. Quod autem vnguentum illud Nardi pisticæ fuisse scripsit Marcus admodum preciosum, vel nomine eximia species Nardi indicatur, vel significatur sinceræ integritatis Nardus, cum mentio etiam fiat ψευδονάρδου. Vel (id quod diligentes quidam ingeniosiq; & docti animaduerterunt, mihiq; valde arridet) Latini nominis ista est corruptela. Neq; aliud significatur quam illud vnguentum

tum

tum fuisse compositione exquisita factum de spicis Nardi. Hoc igitur preciosum scilicet vnguentum fuit Nardi spicatæ seu spicarum Nardi. Et ipsum Mariam vase attulisse, quod Alabastrum cæteri Græci, Athenienses Alabastum, ansis carens appellarunt, & confracto illo profudisse vnguentum Marcus scripsit. Cum autem aduentantis Iesu fama excitasset totam vrbem Hierosolymorum: scripsit Iohannes cum baijs obuiam processisse multitudinem, & illa læta atque festa acclamatione eum excepisse. Sunt autem baia proprie rami arboris palmæ, cum alij simpliciter ramorum ex arboribus decerptorum meminerint. Sed & Iohannes alia tum memorabilia dicta & facta Iesu prolixe descripsit, quæ non illa quidem à me hoc tempore recensenda, sed ab vnoquoq; qui Christianum perhiberi se voluerit, perpetuo recordanda atque commentanda sunt. TERTIO Iudaicæ hebdomados & Christianæ secundo die, videtur id factum esse, quod de ficu commemoratur à Matthæo & Marco. In quartum autem diem Iudaicæ hebdomados, qui erit Christianæ tertius, conferri apte posse crediderim Pharisaicum consilium de IESV è medio tollendo, & remouendo molestiam doctrinæ aduersantis cupiditatibus ipsorum, vnà cum autore et magistro. Et fortasse cœnam iterum Betaniæ, cuius Matthæus & Marcus mentionem facit. Atq; ita in quintum Iudaicæ hebdomados & quartum Christianæ diem, deferetur pactum

conuentum proditionis, et Iudæ voluntate peruersa, animoq; deprauato cũ suo detrimento vnguenti effusione, et Pharisaica indignatione aucta et odio iritato, concursu ad Iesum, & studio erga illum singulari multitudinis. Hic proxime dies ferias Paschatos antecedet, qua ferie sextus dies hebdomados Iudaicæ et quintus Christianæ habebit Paschatos ferias celebratas à Iesu, id est, cœnam dominicam, & comprehensionem ipsius noctu, cum dimisso proditore, post amoris & soliciti respectus plenos sermones cum suis discipulis habitos, exijsset in eum hortum precandi gratia, quo solere eum venire proditor non ignorabat, adductis ex omnium numero discipulis tantum tribus. Omnino cœnam illam fuisse Iesu Christi in terra cum discipulis vniuersis vltimam, plane est indicatum. Et Iohannes non obscure significat datam hanc esse pridie feriarum Paschatos, quemadmodum tunc cõmuniter celebrarentur. Quidam anticipasse celebritatem feriarum illarum Iesum volunt, & seruasse verum tempus, cum vulgo vno hoc die longius produceretur. Sane fuisse tum, & concurrisse & consequentes fuisse dies festos plures perspicuũ est. Et non fuerit, vt opinor, impia cogitatio, voluisse Iesum cum suis discipulis pridie feriarum Paschatos festiuas illas epulas institui, vt verus ipse agnus, qui tollit peccata mundi, ipso die festo mactaretur. Atq; nullus ex quatuor Euangelistis mentionem cœnæ omisit, de legitimis autem obseruatio-

uationibus in agno comedendo, nihil addidisse eos videmus. Sed de his quæri plura à nobis non est necesse, vel nunc certe non opportunum. Proditus igitur fuit osculo, & captus Iesus illa nocte, post pauorem & horrorem & tristitiam animi, (quæ neq; fando exprimi neq; cogitando percipi possit) cum sudor cruentus de corpore ipsius in terram grandibus guttis manasset, inter anxias preces et consolationem angeli, & suorum defatigationem & tantarum rerum incuriam. Horti quidem locum indicat Iohannes, qui esset vltra torrentem cedrorum, quemadmodū scriptura edita est, cum fieri potuerit, vt hæc deprauaretur, inculcato articulo, vbi esset in archetypo, πέραν τοῦ χειμάῤῥου κεδρῶν. *Nam illic fuisse hoc cuiusdam torrentis nomen constat, vel crepidinis vallium inter vrbem Hierosolyma & montem, qui Oliueti nomen habuit, secundū Iosephum. Matthæus etiam et Marcus fundi nomen adiecerunt Gethsemane, & Lucas viciniam montis oliuarum. Huius iam noctis spacium complectitur ea, quæ de comprehenso, ludibrioq; habito, & crudeliter afflicto* IESV, *antequam Præsidi ille traderetur, quæq; alia tunc dicta & facta copiose extant apud autores Euangelicæ historiæ, quorum illa scriptis fideliter exponentibus, rectius omnia, quam me recensente cognoscentur. Nostra autem dierum enumeratio ad sextum iam peruenit hebdomados Christianæ diem, & septimum Iudaicæ, quo cruci affixus est*

deberent, eo ipso necessaria ad victum & cultum præparanda essent. Sequitur sabbatum igitur Iudaicum, primus dies hebdomados populi illius, & septimus Christianæ, quo IESVS Christus quieuit in sepulcro. Hoc est triduum, quo secundum DEI æterni voluntatem & consilium, IESV Christi exanimum corpus in sepulcro iacere, & ipsum descendere ad loca infera, quæ orci nomine indicantur, oportuit, vt tertio die excitatus potentia diuina, ascenderet in cœlum, & in eius regni sublimi celsitate collocaretur, cuius sub ditione & potestate subiecta sunt omnia, genuaq; flectuntur ad maiestatem nominis ipsius ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων, vt scripsit apostolus Paulus Philippensibus. Sepultum autem corpus IESV fuit studio operaq; Iosephi Arimathæensis & Nicodemi Pharisæi, cum piarum & religiosarum fœminarum cœtus diligenter & attente spectaret notaretq; locum sepulturæ, quod studerent mortuo & sepulto quoque præstari officium pietatis suæ, vnguendo corpus ipsius ritu populorum illorum. Sane eorum, qui tunc curarunt & executi sunt sepulturam illam, mirari liceat confidentem & propemodum audacem pietatem, qui neq; dubitarent, aut vererentur interpellare magistratũ de eo, quem vt seditiosum seruili supplicio affecissent, neq; metuerent hominis mortui corpus tangere, contra edictum legitimum, quo iuberetur diebus totis septem; pro non mundo haberi is, qui

 cadauer


cadauer attigisset, cum feriæ illæ solennes in manibus essent, quarum caussa ne prætorium quidem ingredi Pontifices voluissent, ne contaminarentur, sed vt comederent agnum paschalem. Atque inter hæc ad Pilatum etiam ventum est cum petitione, vt custodiretur sepulcrum, quod metueretur fraus à IESV *discipulis. Atq; impetrarunt quidem illi facile custodum copiam à præside, non abstulit autem dolus aliquorum corpus mortui, sed potentia diuina sepultum Iesum post mortem excitauit, & ipse ad vitam de morte resurrexit. Iustinus Martyr etiam scripsit, ex Iudæis tunc fuisse electos quosdam præcipuos viros, & in omnes partes orbis terrarum dimissos, cum mandatis, vt famam corporis Iesu discipulis furtim ablati, dispergerent atq; confirmarent, et præmonerent vniuersos, vt cauerent errores nouæ illius sectæ, quæ introduceretur* ἄθεος καὶ ἄνομος, *vt ipse loquitur,* καὶ ἀνόσιος. *Hic autem lætissimus & maxime omnium festus Christianorum, qui sunt fideles domino suo vnico Iesu Christo, dies, quo resurrexit hic ad gloriam immortalitatis & regni sempiterni, est secundus dies hebdomados Iudaicæ, & Christianæ primus. Inde enim illi suos dies septem, & nos hinc nostros numerare & ordinare incipimus., qui sequitur sabbatum Iudaicum. Et est hæc iam consequentia dierum diserta expositione autorum Euangelicæ historiæ indicata, vt nulla dubitationis caussa relinquatur, totum negotium*

gotium

gotium ita gestum confectumq; fuisse, quemadmodum oportuerit secundum Dei æterni immutabilem sententiam, demonstratam illam quidem sacrorum librorum prædictionibus. Nam pridie eius diei, cuius parasceues nomen, cœnam vltimam est cœnatus homo mortalis filius Dei in terris. Et initio huius noctu (sic enim vt scimus, ordiuntur diem, id est, νυχθήμερον Iudæi) proditus atq; compræhensus, & luce clara meridie, sublatus in crucem, & vespere refixus est ac depositus in sepulcrum, vbi toto & integro die sabbati quieuit, & postero die resurrexit viuus, quem vocant primum diem et vnam sabbatorum. Illud autem sabbatum non ignorare debemus incidisse in septem dierum paschales tunc ferias, Sic, tempore feriarũ vt dies ille quotuscunq; sane includeretur. Atq; hæc omnia, quemadmodum nostra recitatione cõmemorata distinctaq; sunt, quo euidentius perspici, & percipi certius possint, descripta etiam atq; serie sua disposita, visum est oculis conspectuiq; vestro exhibere contemplanda & noscenda, quæ consideratione diligente perpensa, vel approbarentur, vel, si quis veriora explorasset, emendarentur. His autem iam pro nostra intelligentia, studio religioso enarratis, historiaq; breuiter indicata potius quam explicata, proxima ad absoluendum opus redemtionis generis humani, accessionis de cœnato cum discipulis suis, prodito, compræhenso, crucifixo, mortuo, sepulto, & rursum resur-

resurrectione de morte viuo, neque vnquam iterum morituro IESV *Christo, & ordine totius negocij demonstrato: restat hoc scilicet, vt tota mente precemur, esse nos & permanere in numero eorum, quos seipsum precium impendens et hostiam offerens pro peccatis nostris redemit à morte, placata ira patris filius* DEI *æterni, & reduxit ad vitam, ipse ad hanc resurrectionis princeps & effector, vtq; ad nos quoq; pertineat ac deriuetur aspersio sanguinis eius omnes maculas ac sordes viciorum atq; peccatorum abluentis, vtq; crucifixorum cum ipso moriatur cupiditatum prauarum impetus & corpus, in quo peccatum efficax est, deniq; vt peremto homine vetere & malo denuo suscitetur iusticia nostra, & reuiuiscat homo nouus in spiritu & veritate colens, adorans, venerans* DEVM *patrem* IESV *Christi, opitulatore & aduocato Spiritu sancto, vtq; post hanc terrenam vitam resurgamus cum omnibus* CHRISTI *fidelibus, restitutis diuina omnipotentia corporibus, ad adeundam promissam in* CHRISTO *hæreditatem, in vere beata vita felicitatis perpetuæ & sempiternæ*

Amen, DIXI.



DD. Παρασκευή. Σάββατον. I. VII. στια χριστοῦ καὶ ξενοδοχία ἐν βηθανίᾳ.	Iudaici Nissan 9	Romani Martij 19	6	XIIII. April.
Κυριακή 2. I. τὰ βάϊα.	10	20	5	XIII.
3. II. ἡ συκῆ.	11	21	4	XII.
4. III. συνέδριον Ἰουδαϊκὸν καὶ δεῖπνον ἐν βηθανίᾳ.	12	22	3	XI.
5. IIII. προδοσίας συνθήκη.	13	23	2	X.
6. V. δεῖπνον κυριακὸν καὶ σύλληψις.	14	24	1	IX.
7. VI. Πάθος καὶ σταύρωσις.	15	25	PAS Πανσέληνος.	CHA. ἰσημερία. VIII.
Σάββατον. VII. ἀνάπαυσις ἐν τῷ τάφῳ	16	26		VII.
Κυριακή. 2. I. Ἀνάστασις.	17	27		VI.

